MARTINI DES AMORIE VAN DER HOEVEN

EPISTOLA

AD VIRUM DOCTISSIMUM

W. H. D. SURINGAR

DE DONATI COMMENTARIO IN VIRGILII AENEIDA.

In adolescente non res laudanda sed spes est.

LEOVARDIAE,
G. T. N. SURINGAR.
MDCCCXLVI.

VIRO DOCTISSIMO

W. H. D. SURINGAR

S. P. D.

M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN.

Cum nuper, Vir Praestantissime, secundum volumen legerem Historiae tuae Criticae Scholiastarum Latinorum, factum est ut nonnulla, quae leviter attigisti, si accuratius pertractarem, operae pretium facere posse mihi viderer. Neminem autem noveram, cujus judicio potius ea subjicere vellem, quam Tuo, qui in hac parte literarum habitas plane et regnas. Quare ausus sum, Vir Doctissime, epistolam ad Te mittere, quamvis prorsus, ut opinor, Tibi ignotus. Quam audaciam ut boni consulas, et me si errantem deprehenderis, amice candideque commonere velis, per Te literarum amorem obtestor.

Quaestio, quam primo loco tractare mihi proposui, haec est: Exstant in Terentium scholia *Aelii Donati*, in Virgilii Aeneida Commentarius *Tiberii Claudii Donati*. Quaeritur utrum eidem an diversis auctoribus debeantur. Tu, Vir Doctissime, in eam sententiam pronus es, ut putes utrumque opus ab uno scriptore profectum esse. Duobus argumentis in hanc rem uteris, Hist. Crít. I. p. 80, et

II. p. 52. Primo censes non adeo urgendam esse nominum diversitatem, cum Lindenbrogius testetur Terentii interpretem, Aelium Donatum, ab antiquis vocari *Claudium Tiberium*, etiam in vetustissimo Codice Ms., quem ipse Florentiae viderit in Bibliotheca ducis Hetruriae. Scripsit Lindenbrogius in notis ad titulum commentariorum Donati in Terentium, pag. 631 editionis secundae a. 1623, haec: » (*Aelii Donati*) Ita expressim libb. Pithaeor. et P. Da-» nielis, quos hic authores sequor. Quamvis in Commen-» tariis Virgilianis, quae .et illa Donato adtribuuntur. et » quidem ab antiquis, *Cl. Tiberius* vocetur. etiam in ve-» tustissimo Ms. Cod. quem Florentiae in Bibliotheca Ducis » Hetruriae vidi." Quorum verborum interpunctio minus accurata Te decepit. Nam in editione principe anni 1602, p. 621 rectius ita leguntur: » Quamvis in commentariis » Virgilianis (quae et illa Donato adtribuuntur, et quidem » ab antiquis) Cl. Tiberius vocetur." Scilicet antiqui scriptores testantur Donatum scripsisse commentarios in Virgilium, sed nulli umquam antiqui Terentianum interpretem *Cl. Tiberium Donatum* appellaverunt: nec Commentario in Terentium, sed Virgiliano, hoc nomen praepositum in Ms. Florentino vidit Lindenbrogius. Quare argumentum illud e nominum diversitate petitum, non parvi aestimandum duco. Celeberrimum fuit per totum medium aevum Aelii Donati nomen, non tantum Terentianis Scholiis, sed multo magis Artibus grammaticis. Nusquam, quod sciam, pro *Aelio Donato*, nomen *Tiberii Claudii* in Mss. expressum invenitur.. Contra commentarios in Virgilium constanter Codices tribuunt *Tiberio Claudio Donato*. Si probaverimus, hujus commentarii auctorem ab interprete Terentii diversum esse: a nostra parte stabit Codicum veterum auctoritas; dissentientium opinio conjectura nitetur.

Altero argumento usus es hoc: Sanctus Hieronymus, Terentiani interpretis, Aelii Donati, discipulus, testatur

magistrum suum in Virgilium quoque reliquisse commentarios. Sane hinc manifesto apparet, Donati ejusdem, qui Terentium interpretatus est, etiam exstitisse commentarios Virgilianos. Relinquitur quaestio de hoc commentario qui hodie sub nomine Tiberii Claudii Donati fertur, an sit idem quem memoravit Hieronymus.

Mihi de hac re ita videtur (nam sententiam meam paucis verbis proponam, quam deinde latius confirmabo): Commentarius in Virgilium hodie superstes, qui nihil fere continet e veteri doctrina aut exquisita linguae Latinae scientia petitum, non est Aelii Donati, egregii commentatoris in Terentium, eruditissimi viri. Quae vero Servius passim citavit Donati in Virgilium scholia, videntur esse ex ipsis illis Aelii Donati, qui Terentium explicavit, Virgilianis commentariis, de quibus locutus est Hieronymus: diversa utique sunt a commentario Tiberii Claudii Donati, qui exstat hodie. Postremo: Vita Virgilii quae sub Donati nomine fertur, ejusdem Donati est quem passim citat Servius, fuitque praefatio sive prolegomenon commentarii ejus in Virgilium. Praefatio igitur sola superest: caetera perierunt, exceptis fragmentis, quae servarunt Servius et alii.

Commentarium in Aeneida, qui sub Donati nomine exstat, alium habuisse auctorem quam scholia in Terentium, vel ex sola nominum diversitate opinati sunt multi. Ipse citasti Fabricium, Saxium, et Heynium. Adde Henr. Stephanum, de delectu in lection. Virg. p. 69; Harlesium, Brev. Notitia, Lips. 1803 p. 239. Hoc autem nescio an quisquam inquisiverit accuratius, utrum is commentarius sit idem, quem olim usurpavit et saepe citat Servius. Legi in eo quae Servius citavit, uno verbo affirmat Fabricius in Bibl. Lat. T. II. (ed. 1721) p. 247: idem uno verbo negat Ptolemaeus Flavius in Conjectaneor. Centur. cap. 95, ac diversi putat esse auctoris opus. Et ego diversum esse scriptorem existimo. Primo, Donatus quem citat Servius ad Bucolica quoque et Georgica commenta-

tus erat. Jam hinc apparet, eundem esse non posse. Nam noster ille ad solam Aeneida scripsit. Ex annotatione ad lib. VII, v. 645, et epistola ad finem apparet, totum opus harum Interpretationum duodecim libris conclusum fuisse, quibus totidem Aeneidos volumina explicarentur, ac postea iis auctorem addere voluisse decimum tertium librum ad illustranda nomina propria quae in sola Aeneide legerentur. His libris opus continetur plane integrum et plenum, initio praemissa praefatione, ad calcem addito epilogo. Non igitur his Interpretationibus etiam Bucolica et Georgica auctor complexus est aut voluit complecti. Nec dici potest (quod jam per se non admodum probabile est), a commentario in Aeneida prorsus separatos libros eum scripsisse ad Bucolica et Georgica. Nam praefatione, qua hunc commentarium inchoavit, satis manifesto ostendit, nihil eo usque Virgilianarum interpretationum se edidisse. Vide vel ipsum initium: »Post »illos, inquit, qui Mantuani vatis mihi carmina tradide»runt, postque illos a quibus in Aeneidos libris quasi »quidam solus et purior intellectus expressus est, silere »melius erat, quam loquendo crimen arrogantiae incurrere. »Sed cum viderem;" et caetera. Neque etiam ullo modo veri simile est, *post* absolutum in Aeneida commentarium, alios de Bucolicis et Georgicis libros Donatum nostrum addidisse. Siquidem ex epistola ad finem operis apparet, jam tunc eum in extrema senectute fuisse positum, et dubitasse adeo an librum tertium decimum, quem de nominibus propriis in Aeneide subjungere moliebatur, absoluturus esset. Num absolverit, ignoramus: certe non credibile est, postea integros de Bucolicis et Georgicis commentarios aggressum esse, aut ad finem perduxisse. Atque id praeterea factum esse vix potuit, si vera sit opinio, adversus quam haec disputo: eundem esse hunc nostrum Donatum atque illum quem citat Servius. Nam eidem ipse Servius tribuit Vitam Virgilii, quae hodieque sub

ejus nomine fertur: quaeque manifesto est praefatio commentariorum in Virgilium, ita quidem ut appareat horum auctorem a Bucolicis, non ab Aeneide, sumsisse initium interpretandi; ut postea videbimus. Ergo ex hac prima ratione vel sola intelligitur, a nostro Donato diversum Donatum usurpasse Servium.

Altera ratio, qua idem probatur, est haec, quod ea quae Servius e Donato citavit, in Tib. Claudio non leguntur, ac nonnunquam pro iis alia, prorsus diversa. Loca Servii, ubi citatur Donatus, Tu collegisti, Hist. Crit. II. p. 37 sqq.: ego eadem iterum, quae quidem ad Aeneida pertinent, pro instituti mei ratione percurram.

Servius ad II. Aen. 798: »*Exilio:* ad exilium. »Donatus contra metrum sensit, dicens: *ex Ilio*, quasi »*de Ilio.*"

In Tib. Cl. Donato nil tale ad h. l. legitur. Nam quod hujus commentarii editiones in versu Virgilii, ubi ab eo citatur, pro *exilio* habeant *ex Ilio:* hoc scilicet editores pro arbitrio suo fecerunt, putantes id postulare Servii verba. In optimo Ms. Harlem. recte *exilio* scriptum reperi. Praeterea Donatus de quo locutus est Servius, sine dubio non tantum Virgilii verba ita scripta apposuerat, sed de hac scriptura et interpretatione monuerat, ut e verbis Servii et rei ipsius ratione satis intelligitur. — Ceterum Donatum a crimine violati metri ita defendisti Hist. Cr. II. p. 35, ut diceres eum fortasse *Ilio* fecisse bisyllabum. Eadem ratio in mentem venit Burmanno in notis ad Virgilium. Et eodem modo Clariss. Peerlkampus tuitus est N. Heinsium, qui Donati lectionem commendaverat.

ad III, 242: »*Vim plumis ullam.* Naturale enim »est, ut eludat ictum plumarum levitas. Unde et addidit »*plumis.* Nam quod Donatus dicit, ideo eas fuisse invul»nerabiles, quia de Styge erant natae, non probatur."

Nihil horum in Tib. Cl. Donato. — Ryckius, qui

multum in Donato versatus erat, et novam ejus editionem parabat, in Servio pro *quod Donatus dicit*, e Danielis editione scribendum putabat *quod alii dicunt:* quia hodie in Donato haec non leguntur. Enimvero hoc argumentum nihil valere potest, cum tot locis in nostro Donato desint, quae ex Donati commentario Servius citavit. Similiter in scholio Servii ad VI. Aen. 177. pro *Probus et Donatus* eadem Danielis editio habet: *Probus et ceteri commentatores.* Item, ad VIII. Aen. 333: *ut dicunt quidam*, pro: *ut dicit Donatus.* His omnibus locis vulgatam scripturam, quam optimi codices firmant, antiquiorem et praeferendam esse, per se satis apparet.

ibid. 535: » *Ipse latet.* Re vera procul intuentibus. » Nam secundum Donatum: *late patet*, non stat versus."

Has ineptias non habet Tib. Cl. Donatus, qui contra prorsus diversa ratione verbum *latet* re vera *latendi*, non *late patendi*, significatione accepit. Sic enim ait: » Ipse, » inquit, latet (*Ms. Harlem.* postulare. *Lege:* portus la- » tet): hoc est, cum saeviunt fluctus, cum procellae uni- » versa perturbant, ipse nescit, quid agatur in pelago. » Sic enim ejus situs est, ut venti illum, quamvis validi, » reperire non possint." — Ceterum fallitur Heynius putans Servium dicere, Donatum male legisse *late patet:* qui error Heynii decepisse videtur nuperum praestantissimum Virgiliani carminis editorem, dum conjicit Donatum legisse: *Ipse patet.* Nam fuit haec non lectio Donati, sed vulgatae lectionis interpretatio, ut apparet ex altero simillimo Servii loco, quem jam citabo:

ibid. 636: » *Latebat.* Dormienti scilicet. Nam male » sentit Donatus, dicens *late patebat* contra metrum. Item » dicit, capillis tegebatur: aut latebat, corporis compa- » ratione."

Non haec, sed alia, in Tib. Claudio legi jam notavit Pierius ad h. l. Hic eadem chorda oberrat Burmannus in notis ad Servium scribens: » Donatum legisse *late patebat*

» contra metrum non puto, sed huc translatum ex nota » ad v. 535 supra." Atqui non voluit Servius, ita legisse Donatum; sed *latebat* exposuisse *late patebat*, quod contra metrum esse ait, quia prima in *late* longa est. Vide Henr. Stephanum, de delectu in lection. Virg., prope initium, p. 49. Agroetius Donati interpretationem secutus est, de Orthogr. p. 2271: » *Latere* et absconsum esse aliquid » dicimus, et late patere. Virg. *Et scuta latentia condunt.* » Et: *quod torva solum sub fronte latebat.*" Ex quo loco satis apparet inanem esse Burmanni suspicionem de interpolatione scholii Serviani. Descriptus est in Bedae libello de Orthogr. p. 2789: » *Latere* et absconsum esse aliquid » dicimus et late patere. Virg. *Et scuta latentia condunt.*" Simile est quod idem Donatus in Virgilii versu: *Jacet ingens litore truncus*, explicavit *litus* pro loco ante aram a *litando.*

ad VI, 177: » *Aramque sepulcri.* Probus et Do- » natus de hoc loco requirendum adhuc esse dixerunt."

Non dixit Tib. Cl. Donatus, qui nullam difficultatem in hoc loco memorat, sic explicans: » Properabant aram » non saxis struere, sed arboribus, ut ipsa esset et sepul- » crum."

ibid. 230: » *Felicis olivae.* Moris fuerat ut de lauro » fieret. Sane dicit Donatus, quod hoc propter Augustum » mutavit: nam nata erat laurus in palatio eo die, quo » natus est Augustus: unde triumphantes coronari consue- » verant; propter quam rem noluit laurum dicere ad offi- » cium lugubre pertinere."

Nihil horum apud Tib. Claudium, qui contra nullam a vulgari ritu diversitatem hic agnovit, annotans: » Ex- » piationem omnium purgationemque describit, quae fit eo » ritu, quo Corineum fecisse asseruit, scilicet ut universi, » qui obsequiis (l. *exsequiis*) interfuerant, aqua pura, hoc » est munda, felicis olivae frondibus spargerentur."

ibid. 359: » *Effusus in undis.* Archaismos est;

» quamquam Donatus esse ordinem velit: *dum servat si-* » *dera in undis mediis.*"

Non per istam nimis contortam constructionem, sed aliter, et melius, locum expedit Tib. Cl. Donatus: » Sic » ergo ordinandus sensus (ne fiat vitium, ut *in undis ef-* » *fusus* videatur; si enim ita esset, dici [f. dici *in undas*] » convenerat), ut sit: Exciderat puppi effusus, quum in » mediis undis esset, hoc est, navigaret."

ibid. 535: » *Roseis aurora quadrigis.* Donatus di- » cit, auroram cum quadrigis positam, Solem significare."

Non dicit Tib. Cl. Donatus.

ibid. 623: » *Thalamum invasit natae.* Quod Dona- » tus dicit, nefas est credi, dictum esse de Tullio."

Iterum non dicit Tiberius Claudius, qui omnino abstinet studio crimina in toto hoc loco memorata ad certas personas referendi.

versu eodem. » *Vetitosque hymenaeos.* Legibus sci- » licet: nam dicendo *vetitos* ostendit fuisse, ut est apud » Persas hodieque. Unde Donatus male ait: *natura et* » *legibus vetitos.*"

Hic quaedam similitudo est inter verba quae ex Donato citavit Servius, et quae leguntur apud Tib. Claudium: » *Hic thalamum invasit natae, vetitosque hymenaeos:* » Hic, inquit, contra jura publica legemque naturae filiae » concubitus invasit." — Si quis statuere velit, Tib. Cl. Donatum, ut alibi ex aliis interpretibus profecit, ita hic Aelium Donatum secutum esse, per me licet. Quamquam mihi videantur quae Tib. Claudius dixit, in promtu esse posita, et potius ex sensu et opinione hominum communi, quam e scriptis Grammaticorum petita. Ceterum Servius scribens: » Donatus ait: *natura et legibus vetitos;*" significat, ni fallor, ipsa haec verba in Donati commentario lecta fuisse, quae apud nostrum Donatum non leguntur.

ad VII, 1. » *Litoribus nostris.* Hoc est Italicis. Non,

» ut Donatus ait, in comparationem Oceani navigabi-
» libus."

Tib. Cl. Donatus eandem prorsus explicationem sequitur quam tuetur Servius et Donatianae opponit. Adscribam verba ejus, ex conjectura paulum emendata:
» Videamus an etiam locus fuerit dignus qui Aeneae nutri-
» cis seculis post futuris ossa cum nomine reservaret.
» *Litoribus*, inquit, *nostris*: hoc est Italiae. Quid tam
» pulchrum tamque egregium provenire potuisset, quam
» quod illic conderentur reliquiae ejus, ibique Aeneae nu-
» tricis nomen excelleret, ubi qui ipsius uberibus nutritus
» esset, fuerat cum posteris regnaturus; perindeque esset
» aeterna utriusque memoria, scilicet illius semper per
» se et per posteros imperantis, et hujus perpetua sepul-
» chri consecratione celeberrimae? — *Aeneia nutrix*:
» Qualem vel ubique memoriam consequi debuit, cujus
» erat totum, quidquid per Aeneam Romanis rebus pros-
» pere videretur feliciterque collatum?" —

ibid. 543: » *Et coeli convexa per auras.* Probus,
» Asper, Donatus, dicunt, hoc loco *per* bis accipiendum,
» ut sit: Alloquitur Junonem per coeli convexa et per
» auras."

Donatus, quem habemus, plane diversa ratione interpretatur: *evolavit per auras ad Junonem*; quod monuit etiam Heynius.

ibid. 563: » Donatus dicit, Canusiae esse, vel Lu-
» caniae, qui describitur, locum, circa fluvium, qui Calor
» vocatur."

Nil tale Tib. Claudius. Magis plene, quam Servius, Donati ad h. l. annotationem referre videtur Pomponius Sabinus. Certe quae apud illum citatis a Servio subjiciuntur: » Ubi antrum ingentis magnitudinis cum pestifera » exhalatione est," etc.; pro ipsius Donati verbis habuit quoque, si bene intelligo, Heynius ad hunc Virgilii locum.

ad VIII. 333: » *Pelagique extrema sequentem.* Ut

» quamquam Donatus esse ordinem velit: *dum servat si-* » *dera in undis mediis.*"

Non per istam nimis contortam constructionem, sed aliter, et melius, locum expedit Tib. Cl. Donatus: » Sic » ergo ordinandus sensus (ne fiat vitium, ut *in undis ef-* » *fusus* videatur; si enim ita esset, dici [f. dici *in undas*] » convenerat), ut sit: Exciderat puppi effusus, quum in » mediis undis esset, hoc est, navigaret."

ibid. 535: » *Roseis aurora quadrigis.* Donatus di- » cit, auroram cum quadrigis positam, Solem significare."

Non dicit Tib. Cl. Donatus.

ibid. 623: » *Thalamum invasit natae.* Quod Dona- » tus dicit, nefas est credi, dictum esse de Tullio."

Iterum non dicit Tiberius Claudius, qui omnino abstinet studio crimina in toto hoc loco memorata ad certas personas referendi.

versu eodem. » *Vetitosque hymenaeos.* Legibus sci- » licet: nam dicendo *vetitos* ostendit fuisse, ut est apud » Persas hodieque. Unde Donatus male ait: *natura et* » *legibus vetitos.*"

Hic quaedam similitudo est inter verba quae ex Donato citavit Servius, et quae leguntur apud Tib. Claudium: » *Hic thalamum invasit natae, vetitosque hymenaeos:* » Hic, inquit, contra jura publica legemque naturae filiae » concubitus invasit." — Si quis statuere velit, Tib. Cl. Donatum, ut alibi ex aliis interpretibus profecit, ita hic Aelium Donatum secutum esse, per me licet. Quamquam mihi videantur quae Tib. Claudius dixit, in promtu esse posita, et potius ex sensu et opinione hominum communi, quam e scriptis Grammaticorum petita. Ceterum Servius scribens: » Donatus ait: *natura et legibus vetitos;*" significat, ni fallor, ipsa haec verba in Donati commentario lecta fuisse, quae apud nostrum Donatum non leguntur.

ad VII, 1. » *Litoribus nostris.* Hoc est Italicis. Non,

» ut Donatus ait, in comparationem Oceani navigabi-
» libus."

Tib. Cl. Donatus eandem prorsus explicationem sequitur quam tuetur Servius et Donatianae opponit. Adscribam verba ejus, ex conjectura paulum emendata: » Videamus an etiam locus fuerit dignus qui Aeneae nutri-
» cis seculis post futuris ossa cum nomine reservaret.
» *Litoribus*, inquit, *nostris:* hoc est Italiae. Quid tam
» pulchrum tamque egregium provenire potuisset, quam
» quod illic conderentur reliquiae ejus, ibique Aeneae nu-
» tricis nomen excelleret, ubi qui ipsius uberibus nutritus
» esset, fuerat cum posteris regnaturus; perindeque esset
» aeterna utriusque memoria, scilicet illius semper per
» se et per posteros imperantis, et hujus perpetua sepul-
» chri consecratione celeberrimae? — *Aeneia nutrix:*
» Qualem vel ubique memoriam consequi debuit, cujus
» erat totum, quidquid per Aeneam Romanis rebus pros-
» pere videretur feliciterque collatum?" —

ibid. 543: » *Et coeli convexa per auras.* Probus,
» Asper, Donatus, dicunt, hoc loco *per* bis accipiendum,
» ut sit: Alloquitur Junonem per coeli convexa et per
» auras."

Donatus, quem habemus, plane diversa ratione interpretatur: *evolavit per auras ad Junonem;* quod monuit etiam Heynius.

ibid. 563: » Donatus dicit, Canusiae esse, vel Lu-
» caniae, qui describitur, locum, circa fluvium, qui Calor
» vocatur."

Nil tale Tib. Claudius. Magis plene, quam Servius, Donati ad h. l. annotationem referre videtur Pomponius Sabinus. Certe quae apud illum citatis a Servio subjiciuntur: » Ubi antrum ingentis magnitudinis cum pestifera » exhalatione est," etc.; pro ipsius Donati verbis habuit quoque, si bene intelligo, Heynius ad hunc Virgilii locum.

ad VIII. 333: » *Pelagique extrema sequentem.* Ut

» quamquam Donatus esse ordinem velit: *dum servat si-*
» *dera in undis mediis.*"

Non per istam nimis contortam constructionem, sed aliter, et melius, locum expedit Tib. Cl. Donatus: » Sic » ergo ordinandus sensus (ne fiat vitium, ut *in undis ef-* » *fusus* videatur; si enim ita esset, dici [f. dici *in undas*] » convenerat), ut sit: Exciderat puppi effusus, quum in » mediis undis esset, hoc est, navigaret."

ibid. 535: » *Roseis aurora quadrigis.* Donatus di- » cit, auroram cum quadrigis positam, Solem significare."

Non dicit Tib. Cl. Donatus.

ibid. 623: » *Thalamum invasit natae.* Quod Dona- » tus dicit, nefas est credi, dictum esse de Tullio."

Iterum non dicit Tiberius Claudius, qui omnino abstinet studio crimina in toto hoc loco memorata ad certas personas referendi.

versu eodem. » *Vetitosque hymenaeos.* Legibus sci- » licet: nam dicendo *vetitos* ostendit fuisse, ut est apud » Persas hodieque. Unde Donatus male ait: *natura et* » *legibus vetitos.*"

Hic quaedam similitudo est inter verba quae ex Donato citavit Servius, et quae leguntur apud Tib. Claudium: » *Hic thalamum invasit natae, vetitosque hymenaeos:* » Hic, inquit, contra jura publica legemque naturae filiae » concubitus invasit." — Si quis statuere velit, Tib. Cl. Donatum, ut alibi ex aliis interpretibus profecit, ita hic Aelium Donatum secutum esse, per me licet. Quamquam mihi videantur quae Tib. Claudius dixit, in promtu esse posita, et potius ex sensu et opinione hominum communi, quam e scriptis Grammaticorum petita. Ceterum Servius scribens: » Donatus ait: *natura et legibus vetitos;*" significat, ni fallor, ipsa haec verba in Donati commentario lecta fuisse, quae apud nostrum Donatum non leguntur.

ad VII, 1. » *Litoribus nostris.* Hoc est Italicis. Non,

» ut Donatus ait, in comparationem Oceani navigabi-
» libus."

Tib. Cl. Donatus eandem prorsus explicationem sequitur quam tuetur Servius et Donatianae opponit. Adscribam verba ejus, ex conjectura paulum emendata: » Videamus an etiam locus fuerit dignus qui Aeneae nutri-
» cis seculis post futuris ossa cum nomine reservaret.
» *Litoribus*, inquit, *nostris:* hoc est Italiae. Quid tam
» pulchrum tamque egregium provenire potuisset, quam
» quod illic conderentur reliquiae ejus, ibique Aeneae nu-
» tricis nomen excelleret, ubi qui ipsius uberibus nutritus
» esset, fuerat cum posteris regnaturus; perindeque esset
» aeterna utriusque memoria, scilicet illius semper per
» se et per posteros imperantis, et hujus perpetua sepul-
» chri consecratione celeberrimae? — *Aeneia nutrix:*
» Qualem vel ubique memoriam consequi debuit, cujus
» erat totum, quidquid per Aeneam Romanis rebus pros-
» pere videretur feliciterque collatum?" —

ibid. 543: » *Et coeli convexa per auras.* Probus,
» Asper, Donatus, dicunt, hoc loco *per* bis accipiendum,
» ut sit: Alloquitur Junonem per coeli convexa et per
» auras."

Donatus, quem habemus, plane diversa ratione interpretatur: *evolavit per auras ad Junonem;* quod monuit etiam Heynius.

ibid. 563: » Donatus dicit, Canusiae esse, vel Lu-
» caniae, qui describitur, locum, circa fluvium, qui Calor
» vocatur."

Nil tale Tib. Claudius. Magis plene, quam Servius, Donati ad h. l. annotationem referre videtur Pomponius Sabinus. Certe quae apud illum citatis a Servio subjiciuntur: » Ubi antrum ingentis magnitudinis cum pestifera
» exhalatione est," etc.; pro ipsius Donati verbis habuit quoque, si bene intelligo, Heynius ad hunc Virgilii locum.

ad VIII. 333: » *Pelagique extrema sequentem.* Ut

» dicit Donatus, per pelagus extrema sequentem, ut *pelagi* » adverbium sit."

Non leguntur haec in Tib. Cl. Donato.

ibid. 373: » Dicit Donatus, potuisse fieri, ut cum » Anchisa concumberet Venus, antequam Vulcano nuberet."

Desunt in Donato nostro.

ibid. 642: » Donatus hoc loco contra metrum sentit, » dicens: *Citae*, divisae; ut est in jure *ercto non cito*, » id est patrimonio vel hereditate non divisa."

Quoniam in Tib. Cl. Donati commentariis extremo libro octavo lacuna est, hic eos cum Servii citationibus conferre non possumus.

ad IX. 31: » *Septem surgens sedatis amnibus altus* » *Per tacitum Ganges.* Fluvius Indiae est, qui secundum » Senecam in situ Indiae, novem alveis fluit; secundum » Melam septem: qui tamen et ipse commemorat, nonnullos » dicere, quod tribus tantum alveis fluat. Virgilius tamen, » Nilo eum jungens, septem alveos habere significat. Hanc » varietatem Donatus fugiens longum Hyperbaton facit, » dicens: *Ceu surgens septem amnibus Nilus aut Gan-* » *ges.*"

Tib. Cl. Donatus ad h. l. non tantum illam constructionem e Donato a Servio relatam non memorat; sed et diserte contra hanc sententiam non Nilo *septem amnes*, sed Gangi tribuit, his verbis: » Comparationem dat poeta » duorum fluminum, Gangis et Nili: quorum Ganges quum » sit copiosus et septem divisus in flumina, semper lenis » est; Nilus vero tunc magis mitis, quum ex maxima » camporum latitudine in alveum redit, et inde actu mol- » liori impellitur."

ibid. 363: » *Post mortem.* Donatus dicit: Post » mortem Nisi et Euryali, bello potiti sunt Rutuli: quod » non procedit, si diligenter advertas."

Prorsus contraria est sententia Tib. Cl. Donati, qui sic exponit: » Ille autem, hoc est Remulus, moriens

» reliquit haec nepoti, qui et ipse bello dejectus quum » fuisset, transitum fecerunt ad Rutulos, a Rutulis nunc » ad Euryalum."

ibid. 547: » *Vetitis armis.* Secundum Donatum, » *vetitis fato;* sed melius lege militari intelligimus, quia » servi a militia prohibebantur."

Servii explicationem, Donatianae contrariam, secutus est Tiberius Claudius: » Filius fuit regis, natus tamen » ex serva, nutritus furtim, et, quod non licebat, servus » in militiam Trojanam datus est."

ibid. 675: » *Ducis imperio commissa.* Hunc locum » male intellexit Donatus, dicens: *Commissam portam,* » id est, creditam Pandaro et Bitiae."

Eandem interpretationem, quae cuivis primo intuitu in mentem veniat, secutus est Tib. Claudius, aliis tamen verbis usus: » Commissam sibi jussu ducis portam, ut » perpetuo clausa teneretur, patefecerant ipsi arbitrio suo."

ibid. 763: » *Raptas.* Quod dicit Donatus, *ab ar-* » *migero,* non procedit."

Tib. Cl. Donatus: » Locus iste intellectus duplicem » rationem potest admittere. Aut enim hastas sublatas » hostibus ipsis, fugientibus ingerebat; aut aliis raptas » jaciebat in eos qui fugerant." Vides, eum duplicem explicationem afferre, utramque diversam ab ea quam Donato tribuit Servius: hanc autem ne memorare quidem.

ad X. 331: » *Deflexit partim.* Male ait Donatus, » hoc loco ante dictorum oblitum esse Virgilium, quod » post Jovis prohibitionem bellis facit numina interesse."

Nihil tale apud Tib. Cl. Donatum.

ibid. 463: » *Victoremque ferant morientia lumina.* » Donatus dicit *meminerint;* sed melius est *sustineant:* nec » enim meminisse oculi possunt."

Non dicit Tiberius Claudius, neque eo sensu intellexisse videtur: » Videat me moriens Turnus sibi rapere » arma sanguine suo perfusa, et antequam mors plena ejus

» oculos claudat, victorem ferat quem crediderat peri-
» turum."

ibid. 497: » *Impressumque nefas.* Insculptum nefas » Danaidum. Donatus tamen *impressum* dicit coactum, » quod a patre compulsae sunt facere."

Tib. Cl. Donatus sequitur interpretationem Servii, quam hic Donatianae contrariam esse significat: » Im- » pressa in auro fuit admissi sceleris fabula."

ad XI. 31: » *Parrhasio Evandro.* Arcadio, a ci- » vitate Arcadiae, quam Donatus vult a *parra* avi dictam: » quod procedit, si *parra* nomen est Graecum; si autem » Latinum est, stulte sensit: nam Graecum nomen etymo- » logiam Latinam non recipit."

Nil horum apud Tiberium Claudium. — Ceterum Servii similis in Donatum censura est ad II. Georg. 4: » Lenaeus ἀπὸ τοῦ ληνοῦ dicitur, id est a lacu. Nam quod » Donatus dicit ab eo, quod mentem leniat, non procedit: » nec enim potest Graecum nomen Latinam etymologiam » recipere." — Iterum contra Donatum disputat, quamquam nomine ejus suppresso, ad IV. Aen. 207: » *Lenaeus* » dicitur, quia lacubus praeest. Nec potest dici *Lenaeus* » a mentis delinimento, cum sit a Graeco tractum."

ib. 124: » *Ingentior.* Frustra ait Donatus, hoc no- » men de his esse, quae non recipiunt comparationem."

Nihil hujusmodi Tib. Cl. Donatus dicit; in cujus annotatione pro *tui corporis formam* ex Ms. Harlem. corrigendum est: *tui nominis famam.*

ib. 316: » *Est antiquus ager.* Hoc loco Donatus » erravit, dicens, agrum quem Latinus donare se disponit, » esse in Campania, juxta Ufentem fluvium, cujus terras » vicinas Tusci aliquando tenuerunt: ut inde dictum sit: » *Tusco mihi proximus amni.* Agit etiam hoc argumento, » quod illic est locus qui hodieque vocatur *Pinetum.*"

Horum omnium ne vestigium quidem in Tiberio Claudio reperitur.

ib. 318: » *Aurunci Rutulique serunt.* Ait Donatus » non potuisse fieri, ut praesente Turno ager Rutulorum a » Latino donaretur Aeneae."

Non scripsit hoc Tib. Cl. Donatus, nec potuit scribere, quippe qui paulo ante *antiquum agrum* exposuerat: *Latini proprium.* Ejus annotationem ad h. l., quae in vulgatis excidit, ex Cod. Harlem. supplebo: » *Aurunci* » *Rutulique serunt, et vomere duros Exercent colles,* » *atque horum asperrima pascunt.* Non nobis, sed ad- » haerentibus et contiguis utilis, quum hoc remotio facit » et longinqua separatio. Istum denique Aurunci (*insere*: » et Rutuli) serunt aut pascunt. Quomodo *serunt?* quo- » modo *pascunt?* Vomere, inquit, exercent, quod potest » coli; et pascunt quod respuit asperitatis causa culturam. » Positis ubere alio serunt, colunt, pascunt."

ib. 763: » *Hac Aruns subit.* Donatus dicit esse » manifestum signum, socium fuisse, quod Apollinem So- » ractis invocet montis, de quo Turno venisse constat » auxilia: licet possit fieri, ut alterius loci invocet numen. » Item ad argumentum vocat: *Patrias remeabo inglorius* » *urbes,* quod etiam de hoste procedit."

Ex Servio ad v. 592 discimus, interpretes nonnullos censuisse Aruntem de Turni partibus fuisse, adeoque socium, non hostem, Camillae. In his fuisse Donatum, verba allata docent. Servius ipse dubitasse videtur, et quaedam Donati argumenta refellit. Tib. Claudius vero non modo minime dicit, quae Servius citavit, sed et contrariam sententiam secutus est, ut ex. gr. apparet e verbis ejus ad v. 784: » Tam difficile fuit Camillam sterni *hostili* manu;" et ad v. 789, ubi Aruntis preces: *Da, pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,* ita interpretatur: » Quales enim viri » dici poterant, quorum audebat femina misceri certamini, » quam vincere fuit crimen, et ab ea superari flagitium?"

ad XII. 365: » *Edoni Boreae.* Sciendum hoc loco » errasse Donatum, qui dicit *Edonii* esse legendum, ut

» *do* brevis sit secundum Lucanum, qui dicit: *Edonis* » *Ogygio decurrit plena Lyaeo.*"

Non dicit noster Donatus.

ib. 366: » *Aegaeo.* Mari scilicet. Nam male ait » Donatus montem esse, unde flat Boreas."

Non ait Tib. Claudius, quem contra de mari accepisse satis manifesto patere videtur. Nam verba Virgilii, *velut Edoni Boreae cum spiritus alto Insonat Aegaeo*, hac paraphrasi explicat: » Ut solet, inquit, Boreae venti flatu » fortissimo pelagus commoveri ac dare sonum." Sic enim e Ms. Harlem. legendum est.

ibid. 508: » *Et crates pectoris.* Donatus superfluam » vult esse conjunctionem, ut sit Epexegesis: *adigit ensem* » *per costas*, id est, *pectoris crates.*"

Nil tale Tib. Cl. Donatus in annotatione ad h. l. tradit.

ibid. 515: » *Onyten*, *nomen Echionium.* Onyten » Donatus dicit aut gentile esse, aut patronymicum, ut » nomen ejus proprium sit *Echionius.* Sed hoc non pro- » cedit quia neque patronymicum in *tes* exit; neque *Onytes* » a qua gente veniat, usquam lectum est."

Tib. Cl. Donatus: » Onyten, hoc est Onytis et Pe- » ridiae filium, qui Echionio nomine diceretur." Vides Donatum, quem Servius citat, duplicem interpretationem proposuisse: nostrum vero Donatum unam interpretationem sequi, alteram ne memorare quidem.

ib. 529: » *Murrhanum hic atavos et avorum anti-* » *qua sonantem Nomina.* Superfluum est, quod ait Do- » natus, debere nos accipere interemptum esse Murrhanum, » dum avos et atavos Turni commemorat, et effert laudi- » bus maximis, per illud: *Vidi oculos ante ipse meos* » *me voce vocantem Murrhanum.*"

Tib. Cl. Donatus: » Huic asserit poëta vanitatem » animi sui obfuisse. Qui dum se putaret propter nobi- » litatem generis, quod per reges Latinos ad ipsum quoque

» pervenerat, a quoquam contingi non posse, sic Aeneae » manu prostratus interiit." Apparet, hunc prorsus alio modo intellexisse quam Donatum a Servio citatum, et de ipsius Murrhani, non Turni, majoribus.

ib. 585: » *Trahunt in moenia regem.* Donatus di- » cit: *trahunt in moenia*, pro, dilacerant in moenibus » rumoribus suis."

Tib. Cl. Donatus plane diversa ratione explicavit: » Qui videbant periculum praesens et discrimen manifes- » tum, dicebant aperiri civitatem melius esse, quam oc- » cupari armis aut flammis, et ob hanc causam urgebant » regem ad moenia, hoc est, in muros." —

Addam his duo fragmenta Commentariorum Donati in Aeneida, alibi a me reperta.

Priscianus, Lib. XV. p. 1004: » *Ni* quoque pro *ne* » accipitur, sicut supradictus Virgilii versus ostendit: *Ni* » *teneant cursus*, pro *ne teneant.* Quod etiam Donatus in » commento Aen. confirmat dicens: *Ni* pro *ne*; sic ve- » teres."

Tib. Cl. Donatus ad eum locum, III. 686, sine dubio *ni* pro *nisi* accepit, ita interpretatus: » Istorum malorum » consideratione turbati sententiam fiximus, ut inter gemi- » num metum vel transiremus medii, vel retrorsum navigia » duceremus." Ex Prisciani verbis omnino veri simile esse puto, haec quae citat, a Donato scripta fuisse ad eundem illum, de quo loquitur, Virgilii versum: quemadmodum ibidem Servius, Donatum forte secutus, paria annotavit. Dico, ne videantur ducta ea verba esse ex alio loco Donati, quem nunc citabo.

Pomp. Sabinus ad V. Aen. 230: » *Hi proprium* » *decus et partum indignantur honorem Ni teneant, vi-* » *tamque volunt pro laude pacisci.* Donatus inquit, *ni* » pro *ne*, et *ne* pro *non.* Ego sic intelligo: Volunt » mori *ni* pro si non teneant, vel *ni* pro ut non."

Sabinus suam hujus loci interpretationem Donatianae

opponens, satis declarat in hoc ipso Virgilii versu Donatum voculam *ni* ita interpretatum esse: nec locus, credo, dari posset suspicioni, respici a Sabino Donati commentarios in Terentium, ubi ad Eun. II, 3, 35. similia scripsit: »*Quidni.* Sensus est: *quid nisi*, aut *cur non* noverim? » est enim *quid ni*, aut *quid nisi*, aut *cur non:* quia » veteres *ni* pro *ne* ponebant, et *ne* pro *non.* Ut Plautus: » *Ni stulta sis*, pro *ne*, et *ne vult*, pro *non vult.*"

Aliud fragmentum prima specie videtur servatum esse a Scholiaste Vossiano, quem Tu edidisti, Vir Doctissime, Hist. Crit. II., p. 288:

ad I. Georg. 67: » *Sub ipsum Arcturum. In* et » *sub* tunc Accusativo casu junguntur, cum *adversum* vel » *ante* significant, ut: *Ibat in heurulam;* et: *Sub ipsum* » *Arcturum* pro *ante*, ut Donatus dicit Aeneidos secundo."

Pro *Ibat in heuralum* (nam ita legitur in Ms.) verissime ex IX. Aen. 424 emendasti: *Ibat in Euryalum:* ac praeterea ad locum Donati indicandum, quem respexerit Scholiastes, haec ex Tib. Cl. Donato citavisti: » Donatus » ad Aen. II. 442: *postesque sub ipsos*, haec annotavit: » *Manifesta descriptio: alii quippe obsidebant* ante *fores*, » etc." — Verum etiamsi T. Claud. Donatus eo loco pro *sub*, quod Virgilius posuit, in paraphrasi sua usurpasset *ante:* tamen propterea vix ita a Scholiaste Vossiano citari potuisset, ut factum esse videmus. Quin potius illius Scholiastae perpetuus loquendi mos postulat ut statuamus, totam illam annotationem verbo tenus descriptam esse e Donato: sicut idem ex. gr. passim usurpat: *ut Junilius dicit*, ad finem scholii, quod totum e Junilio sumsit. Praeterea Tib. Donatus praepositionem *sub* ne explicavit quidem in eo loco per *ante;* nam verba in ejus paraphrasi: *alii quippe obsidebant ante fores*, non respondent Virgilianis: *postesque sub ipsos Nituntur gradibus*, sed iis quae praecedunt: *obsessumque acta testudine limen.* Legitur autem locus Donati, a Scholiaste citatus, ad ver-

bum in *Aelii Donati Editione secunda* p. 1765: »*In* et »*sub* tunc praepositiones accusativi casus sunt, cum *ad-* »*versum* vel *ante* significant ut: *Ibat in Euryalum*; et: »*sub ipsum Arcturum*, pro *ante*." Ms. Scholiastae in fine habet: *dicit aneide secundo.* In promtu est emendare: *ut Donatus dicit in arte secunda.*

Ad ultimum locum servavi mentionem duarum annotationum Servii quae videntur sententiae, quam hucusque defendi, obstare: siquidem ibi sub Donati nomine quaedam citantur, quae leguntur in commentario Tib. Cl. Donati. Has jam tractabo.

Servius ad II. Aen. 546: »*Et summo clypei ne-* »*quidquam umbone pependit.* Quomodo *pependit*, cum »dixerit: *Rauco quod protinus aere repulsum?* Solvitur: »*Nequicquam pependit*, id est *non pependit*, vel secundum »Donatum: *Penetrato scilicet aliqua ex parte scuti con-* »*textu, telum pendens inhaerebat.*"

Non dubium est, haec hausta esse ex Tib. Cl. Donato, qui ad h. l. ita scripsit: »Nonnulli hic faciunt ina- »nissimam quaestionem, dicentes non posse pendere quod »repellitur. — Repulsum est enim resistente aere; sic »tamen ut pendens in hoc esset, penetrato scilicet aliqua »ex parte scuti contextu." Ubi pro *pendens in hoc esset* e scholio Serviano et Pierii Codice, unde hunc locum Donati in Castigationibus attulit, corrigendum est: *pendens inhaereret.* Non dubitandum est, inquam, quin ex Tib. Cl. Donato desumta sint quae citantur in Servianis (atque ex hoc exemplo intelligi potest quantopere etiam ceterae Servii citationes congruerent cum commentariis Donati, quos hodie habemus, si eosdem citasset alibi); sed non minus certum est omnia ista quae sub nomine Servii adscripsi, re vera illius non esse. Pertinent ad additamenta Serviana, ut recte vocari possunt, quae in omnibus antiquioribus Mss. desunt, uncis inclusa a Burmanno, alia aliunde petita, sed omnia Servio abjudicanda, ut certissimis argu-

mentis demonstrari potest. Ad nostrum quidem locum quod attinet, non invenitur in Mss. a Burmanno collatis, nec in editionibus antiquioribus reperi nisi in sola Fabriciana. Servii autem non esse, in oculos incurrit. Nam in Servianis, quae vere sunt Servii, haec proxime praecesserant: »*Nequicquam*, non. Sic Persius: *Nequicquam* »*fundo suspiret nummus in imo.*" [1]) Quae ridicule in hoc additamento statim repetuntur: tum additur explicatio Donati quae cum Serviana interpretatione vocis *nequidquam* pugnat. Est autem ex proprio aliquo additamentorum ad Servium genere, quod constat quaestionibus et solutionibus. Ponitur quasi aenigma per particulam *quare?* vel *quomodo?* Infertur solutio per formulam: *solvitur*, vel *solvitur sic.* Talia ad Georgicorum libros multa leguntur in Philargyrianis. An sint Philargyrii, nunc quidem decernere non possum: certe Servii non sunt, quamquam in nonnullis editionibus passim Servianis inserta. Tractat Servius saepe quaestiones de difficilibus Virgilii locis; nunquam, quod sciam, hac aenigmatis forma proponit. Multas quoque hujus generis quaestiones, quae in aliis omnibus desunt, in Cod. Guelferbytano Servii commentario immixtas reperit Clariss. *Lion:* plures adeo uno contextu continuatas ad initium scholiorum in librum tertium, praeposita formula: *Incipiunt quaestiones libri tertii;* unde apparere videtur, fuisse has quaestiones olim a nescio quo separatim compositas, postea in nonnullis Mss. Servii suo quamque loco insertam. Auctor eas excerpsit cum aliunde, tum vero ex ipso Servio: unde factum est ut eadem saepe in vero Servio legamus quae in istis supplementis iterum ingeruntur. Similis quaestio de loco Virgilii I. Aen. 140 legitur apud Isidorum I, 36: et de Terent. Andr. prol. 13 in scholio Donati.

---

1) Conf. Servium ad I. Georg. 403: »*Nequidquam*, non. Persius: »*Nequidquam fundo suspiret nummus in imo.* Item Virgilius: *Et summo clypei nequicquam umbone pependit.*"

Reliquus est unus in Servio locus, ubi citatur Donatus.

ad II. 557. »*Jacet ingens litore truncus*. Quod »Donatus dicit, *litus* locum esse ante aras, a *litando* »dictum, vel quod *lituo* illud spatium designatur, ratione »caret. Nam a *litando*, *li* brevis est, et stare non potest »versus."

Eandem opinionem secutus est Tib. Cl. Donatus: »*Litore:* ubi litare consueverat, quoniam intra domum et »ante aras constabat occisum." Verba illa in Servio: *vel quod lituo illud spatium designatur*, in solo Codice Fuldensi leguntur, nec videntur esse Servii, etiam propterea quod etymologiam a *litando* solam refutet, cum hanc alteram eodem argumento refellere posset. Si tamen forte ex Donati scholio Servianis addita fuerint, legebantur ista in Ael. Donato quae in nostro Donato non leguntur. Ceterum non adeo miror Ael. Donatum hanc explicationem protulisse, quippe qui etiam *latere* per *late patere* exponere ausus fuerit, quam Tib. Cl. Donatum talem sententiam sequi potuisse: et praeterea, quod sic simpliciter *litus* explicaverit: *ubi litare consueverat*, non clarius monens (quod sine dubio Ael. Donatus fecerat) *litus* hic plane aliam esse vocem, quam vulgo, et a *litando* deduci: quam miram opinionem nunc ex paraphrasi sua conjiciendam nobis reliquit. Ac possem suspicari, haec non esse Tib. Donati, sed ex Servio a male sedulo interpolata: nam in optimo Ms. Harlemensi, ubi cetera omnia ad totum hunc locum notata ita ut in editis leguntur, verba quae citavi plane desunt. Sed sint sane ab ejus manu (quod, ut nunc est, potius credo); non tamen inde sequitur, ex illo haec citasse Servium, cum tot loci probent alium commentarium a Servio sub Donati nomine citari, quam qui exstat hodie: sed potius Tib. Claudium, ut alibi sine dubio ex aliis Virgilii interpretibus profecit (quod satis inde apparet quia multis locis, etiam in mirificis interpretationibus, cum

Servianis congruit, quas a Servio vel ab aliis accepit), ita hoc loco Aelium Donatum videri secutum esse, non addito, quod nusquam facit, auctoris sui nomine: pariter atque in hoc eodem Virgilii loco fecit scriptor quaestionis, quam in Cod. Guelf. Servianis insertam reperit Clariss. *Lion:* »Si ad aram occisus est, quomodo *litore?* »Solvitur sic: *litus* dicitur locus circa aram prope pedes »duodecim, dictus a *litando.* Alii *litus* propterea acci»piunt, sicut alibi: Cui litus arandum agros mari vicinos »possidendos." — Ubi primum notetur, haec partim jam in Servianis dicta esse, partim iis repugnare, et firmari inde, quod paulo ante de interpolatione similis quaestionis in Servio dixi; deinde illa: *litus dicitur locus circa aram prope pedes duodecim*, opinor omnia ex Ael. Donato sumta esse, pleniusque ejus sententiam referre, quam retulit eam Servius. Denique in fine corrigendum videtur: »Alii »*litus* pro terra accipiunt, sicut alibi: *Cui litus arandum*, »i.e. agros mari vicinos possidendos." Ita Servius ad I. Aen. 3: »Nec nos debet fallere, quia dixit: *Lavina litora.* »*Litus* enim dicitur terra quoque mari vicina, sicut ipse »Virgilius in quarto (212): *Cui litus arandum*, cum per »naturam litus arari non possit. Ergo scire debemus *litus* »posse et terram dici." — Hoc addo: ex uno loco Tib. Cl. Donati, ubi consentit cum interpretatione, quam e Donato citat Servius, non meliori jure effici posse, commentarios qui hodie exstant, eo nomine apud Servium intelligi: quam Ptolemaeus Flavius ex uno item Servii loco, ubi mira quaedam explicatio e Pollione affertur, quae eadem apud nostrum Donatum reperitur, hujus commentarios Pollioni tribuendos esse censuit: cujus opinionem rectissime sprevisti, Hist. Crit. II. p. 246. Talia alter interpres ab altero accipiebat. Nec dici potest, in nostra quaestione causam esse diversam: nam commentarios hosce nomen praeferre Donati, ideoque *a priori*, ut dicitur, probabile esse, eosdem a Servio eodem sub nomine citari: quod

non item de Pollione valeat. Nimirum in Mss. tribuuntur *Tiberio Claudio Donato.* Constat autem ex Hieronymo, *Aelium* quoque *Donatum* in Virgilium commentatum esse. Quare a priori propter auctoritatem Mss. probabile est hos, quos habemus, commentarios ab opere *Aelii Donati* diversos esse, et Servium, simpliciter *Donati* nomine posito, celeberrimum illum *Aelium Donatum* designasse; Servium inquam, qui in ejusdem Aelii Donati artes grammaticas ipse reliquit commentarium.

Dixi paulo ante, tot loca Servii probare, alium ab eo usurpatum fuisse Donati commentarium, quam qui exstat hodie. Id, ni fallor, ex his quae scripsi abunde intelligitur. Omnibus illis quae ex Donato ad multos Virgilii versus citavit Servius, in Tib. Claudio — si unum locum excipias quem postremo tractavi ubi eandem sententiam est secutus (quod eum in quibusdam locis fecisse, nil mirum est) — numquam satis similia leguntur, saepe diversa et contraria. Si viri docti omnia illa loca sub uno conspectu vidissent: jam olim, credo, intellexissent, plane diversos scriptores esse. Nunc, in singula loca incidentes, inde rem explicaverunt quod putarent Donatum, quem nos habemus, in iis locis corruptum a librariis et truncatum esse; omninoque ejus commentaria adhuc nonnisi mutila et multimodis interpolata esse edita, cum multo integriora in Codicibus Mss. supersint. Sic de tali loco scripsit Heynius ad VI. Aen. 177: »In Donati frag»mentis interpolatis, quae habemus, nihil tale occurrit;" et Burmannus ad Servium III. Aen. 242: »Hodie in Do»nato haec non leguntur: forte tamen in perditis olim »legebatur; et Pierius multa ex suo codice Donati, aliis »indicta profert, ut et alii." Verum opinio ista infirmis argumentis, vel potius miro errore nititur. Optime hic error intelligitur e Burmanni Secundi Praefatione ad Virgilium. »Genuinum (inquit) ac verum Donatum nos »hodie non habere docent Codices ejus Mssti, qui ab

» editis longe diversi et integriores saepe a viris doctis » memorantur." Mirum errorem erravit Burmannus, et alii cum eo. Confudit nempe Donatum, qualis primo editus est, cum eo Donato, qui nunc in editionibus legitur. Scilicet Christophorus Landinus primus Donati commentarios edidit seculo decimo quinto, non integros, sed in epitomen ab illo contractos; ut ex ipsius Landini professione intelligitur. Vid. Heynius in Elencho Editt. Virgilii ad annum 1489. Haec excerpta cum vulgo in editionibus repeterentur, quidam viri docti in partes vocarunt pleniora Donati commentaria, quae in codicibus viderant. Tandem integer Donatus prodiit anno 1535. Jam quae dicit Burmannus Sec. de Codicibus Mss. integrioribus, ab eruditis commemoratis, pertinent ad illud temporis intervallum, quo epitome tantum Donati a Landino confecta prodierat. Ergo perperam putavit, inde apparere nos *hodie* genuinum ac verum Donatum non habere. Vide, ut hoc fiat manifestius, verba Burmanni quae sequuntur. » Passim, inquit, Pierius in Castigationibus suis profert » plurima ex locupletiori Donati exemplari. vid. ad lib. I. » Aen. 178 et III. Aen. init. sic integra Donati Commen- » taria in duos ultimos Aeneidos libros a Camillo Portio » se habuisse testatur ad lib. XI. Aen. 410. ubi locum » insignem ex isto codice profert, ex quo vel praecipue » adpareat, quantum amiserimus detestabili illius facino- » re, ut ait, qui tam docta mutilavit commentaria. Neque » operam lusissent viri docti, qui Virgilium cum Donati » Commentariis ediderunt, si illa, quae et alibi passim » Pierius in notis suis ex integrioribus codicibus profert, » quaeque in vulgatis exemplaribus frustra quaeruntur, » diligenter excerpta suis locis recte atque ordine dispo- » suissent, ut hac saltem parte supplere potuissent ea, » quae nunc turpi mangonio detruncata dederunt homines » Musis iratis nati." Si ipse Burmannus, quae Pierius protulit cum editis comparasset, vidisset illum quoties

Codices memoret pleniores, spectasse excerpta Landini, quae etiamtunc sola erant edita; in posterioribus vero editionibus omnia legi quae Pierius e Codicibus suis profert. Inspice eadem illa loca quae exempli causa Burmannus citavit: videbis omnia ad verbum in editionibus exstare. Pergit Burmannus: »Diversum quoque ab editis Donati »codicem possedit olim Christoph. Landinus, indicante ejus »discipulo Ang. Politiano in Miscellan. cap. LXXVII." Politiani in elegantissimo illo Miscellaneorum libello verba sunt haec: »Commentarium Tiberi Donati nunc in ma- »nibus habet Landinus homo et eloquens et eruditus, et »Florentiae jam diu doctor bonarum literarum celebratis- »simus. Is igitur (ut diximus) commentarium Tiberi Do- »nati habet in manibus, grandioribus notatum vetustis »characteribus." Apparet eundem esse Donati codicem, unde excerpta sua confecit et edidit Landinus. Postremo Burmannus addidit: »Quin et codex ille Bibliothecae »Harlemensis, ex quo Donatum emendare et restituere in »animo habuerat Theod. Ryckius, ut supra diximus, quem »oculis aliquando lustravi, non tantum optimae, licet re- »centioris, notae exemplar est, sed ut multa suadebant, »videbatur etiam editis longe auctius et integrius." Est sane optimus ille Codex Harlemensis, quem jam in hac epistola passim ad partes vocavi, nactus eum beneficio praefecti bibliothecae, Verbi Divini Ministri A. de Vries, viri praestantissimi, qui nuper editis libris de origine artis typographicae tam suis quam patriae nostrae laudibus egregie consuluit. Possunt in Donati commentariis ex illo Codice singula verba saepissime emendari: nonnumquam et quaedam restitui, quae in Msto unde vulgata editio fluxit aberrante librarii oculo omissa erant; quin etiam paucis in locis integrae ad versus quosdam annotationes, quae simili oscitantia exciderant; sicuti vicissim in illo exemplari subinde nonnulla desiderantur, quae leguntur in editis: quales corruptelas ac diversitates in plerisque vete-

rüm scriptis, praecipue hujus generis, quamdiu ad plures Msstos non sunt castigata, deprehendere licet. Ceterum, si a talibus discesseris, Donati commentaria in universum hic Codex non habet editis longe auctiora, sed plane eadem. Quare argumento ex Codicibus petito, quo usus est Burmannus ut hunc interpretem adeo mutilum et interpolatum editum esse probaret, ipse ad contrariam sententiam firmandam utor. Nam Donati commentaria eadem exhibent et Ms. unde edita sunt, et Codices Pierii, et exemplar Harlemense.

Puto fore nonnullos, qui quamvis e Codicibus praesidium sententiae suae peti non posse intellexerint, tamen faciles erunt ad suspicandum, diversitatem commentariorum Donati a citationibus Servii inde explicandam esse, quod plurima iis a librariis detracta, multa addita fuerint. Invaluit enim pridem haec inter viros doctos opinio, scholiastas Latinorum scriptorum, quotquot supersint, ita a pristina facie immutatos esse, ut nihil magis. Ipse in Introductione ad Historiam Criticam, multa eruditorum dicta in hanc rem collegisti, quibus addo N. Heinsii verba in Munckeri Diss. de Hygino prope finem: » Et Servius » et reliqui poetarum Latinorum commentatores adeo mu» tili ac interpolati ad nos pervenerunt, ut vix umbram » suimet ipsorum circumferant." Persuaserunt sibi viri docti singula Scholiastarum opera esse quaedam quasi Augiae stabula, et nihil antiquius habuisse monachos et omnis generis homines, quam ut quasi de compacto suas quique ineptias in haec Commentaria studiose coacervarent, et genuina extruderent. Si mihi, tirunculo in literis, post magnos viros sententiam dicere fas est: haud equidem negaverim, hujusmodi scriptiones magis quam alias interpolationibus mutationibusque obnoxias fuisse. Constant enim plerumque congerie annotationum diversissimi generis, nullo orationis nexu inter se junctarum. In promtu et sine ullo artificio fuit, augere ea ex aliorum ad eun-

dem scriptorem commentariis, et supplere quae ad intelligendum auctorem utilia ab unoquoque Scholiaste praetermissa, vel etiam resecare quae ad loci cujusque intelligentiam non necessaria addita videbantur. Puto tamen viros doctos ulterius, quam par erat, progressos esse, et adhibendas esse distinctiones. Tu, vir doctissime, egregie monuisti, Hist. Crit. II. p. 255, magis interpolationi obnoxia fuisse scholia si ad marginem auctoris scriberentur, quam si separata, sine textu et continuo ordine. Ubi commentatoris expositio quae majoris molis esset, quam ut ad marginem posset apponi, describebatur in exemplaribus (loquor de iis, quae boni aevi sint ac bonae notae) addito in titulo auctoris nomine, non id agebat librarius ut farrago scholiorum undecumque colligeretur, sed ut hujus unius opus repraesentaretur cum fide. Praeterea in melioribus codicibus scribae, cum diversorum auctorum scholia conjungerent, addere solebant voculam *aliter*, vel *item*. Viri docti saepe levibus argumentis usi sunt, ut ex commentariis veterum nonnisi excerpta et fragmenta quaedam, eaque ipsa mirifice interpolata, ad nos pervenisse probarent. Ubicumque errores vel ineptias deprehendebant, confestim de interpolatione suspicati sunt, non satis cogitantes quot qualesque errores et ineptiae reperiantur etiam in iis locis quos propter expressi testimonii auctoritatem non dubium est ad aliquem veterem grammaticum referendos esse; quod vel ex iis apparet, quae a Servio nominatim e Donato, grammatico eruditissimo, citata supra in hac epistola exhibui. In ipso Servio quaecumque merito reprehenduntur, nolunt fere viri docti auctori tribui, sed interpolata putant. Eodem fere modo in Lactantio, Statii interprete, recensendo Barthius rem egit. De Servianis quidem in Virgilium commentariis, qualia optimi codices exhibent, dicere non vereor, haud sane integra, multo tamen integriora mihi videri, quam viri docti, re tamen non accuratius examinata, videntur

rum scriptis, praecipue hujus generis, quamdiu ad plures Msstos non sunt castigata, deprehendere licet. Ceterum, si a talibus discesseris, Donati commentaria in universum hic Codex non habet editis longe auctiora, sed plane eadem. Quare argumento ex Codicibus petito, quo usus est Burmannus ut hunc interpretem adeo mutilum et interpolatum editum esse probaret, ipse ad contrariam sententiam firmandam utor. Nam Donati commentaria eadem exhibent et Ms. unde edita sunt, et Codices Pierii, et exemplar Harlemense.

Puto fore nonnullos, qui quamvis e Codicibus praesidium sententiae suae peti non posse intellexerint, tamen faciles erunt ad suspicandum, diversitatem commentariorum Donati a citationibus Servii inde explicandam esse, quod plurima iis a librariis detracta, multa addita fuerint. Invaluit enim pridem haec inter viros doctos opinio, scholiastas Latinorum scriptorum, quotquot supersint, ita a pristina facie immutatos esse, ut nihil magis. Ipse in Introductione ad Historiam Criticam, multa eruditorum dicta in hanc rem collegisti, quibus addo N. Heinsii verba in Munckeri Diss. de Hygino prope finem: » Et Servius » et reliqui poetarum Latinorum commentatores adeo mu» tili ac interpolati ad nos pervenerunt, ut vix umbram » suimet ipsorum circumferant." Persuaserunt sibi viri docti singula Scholiastarum opera esse quaedam quasi Augiae stabula, et nihil antiquius habuisse monachos et omnis generis homines, quam ut quasi de compacto suas quique ineptias in haec Commentaria studiose coacervarent, et genuina extruderent. Si mihi, tirunculo in literis, post magnos viros sententiam dicere fas est: haud equidem negaverim, hujusmodi scriptiones magis quam alias interpolationibus mutationibusque obnoxias fuisse. Constant enim plerumque congerie annotationum diversissimi generis, nullo orationis nexu inter se junctarum. In promtu et sine ullo artificio fuit, augere ea ex aliorum ad eun-

dem scriptorem commentariis, et supplere quae ad intelligendum auctorem utilia ab unoquoque Scholiaste praetermissa, vel etiam resecare quae ad loci cujusque intelligentiam non necessaria addita videbantur. Puto tamen viros doctos ulterius, quam par erat, progressos esse, et adhibendas esse distinctiones. Tu, vir doctissime, egregie monuisti, Hist. Crit. II. p. 255, magis interpolationi obnoxia fuisse scholia si ad marginem auctoris scriberentur, quam si separata, sine textu et continuo ordine. Ubi commentatoris expositio quae majoris molis esset, quam ut ad marginem posset apponi, describebatur in exemplaribus (loquor de iis, quae boni aevi sint ac bonae notae) addito in titulo auctoris nomine, non id agebat librarius ut farrago scholiorum undecumque colligeretur, sed ut hujus unius opus repraesentaretur cum fide. Praeterea in melioribus codicibus scribae, cum diversorum auctorum scholia conjungerent, addere solebant voculam *aliter*, vel *item*. Viri docti saepe levibus argumentis usi sunt, ut ex commentariis veterum nonnisi excerpta et fragmenta quaedam, eaque ipsa mirifice interpolata, ad nos pervenisse probarent. Ubicumque errores vel ineptias deprehendebant, confestim de interpolatione suspicati sunt, non satis cogitantes quot qualesque errores et ineptiae reperiantur etiam in iis locis quos propter expressi testimonii auctoritatem non dubium est ad aliquem veterem grammaticum referendos esse; quod vel ex iis apparet, quae a Servio nominatim e Donato, grammatico eruditissimo, citata supra in hac epistola exhibui. In ipso Servio quaecumque merito reprehenduntur, nolunt fere viri docti auctori tribui, sed interpolata putant. Eodem fere modo in Lactantio, Statii interprete, recensendo Barthius rem egit. De Servianis quidem in Virgilium commentariis, qualia optimi codices exhibent, dicere non vereor, haud sane integra, multo tamen integriora mihi videri, quam viri docti, re tamen non accuratius examinata, videntur

existimasse. Imprimis autem de Tib. Cl. Donati libris Interpretationum Virgilianarum non dubito mihi plerosque, qui legerint, assensuros, non esse eos, exceptis librorum partibus, quae totae perierunt, ita multum mutilatos aut interpolatos. Barthius ad Stat. IV. Theb. 445. scribens, universa haec commentaria mirificis modis conspurcata esse, habita nimirum pro lacunis, ubi venena sua (sic enim ipse loquitur) omnes nebulones egererent; denique infinitis et modis et locis totum librum per grammatistas sequiorum temporum deturpatum esse: Barthius, inquam, locutus est ex ista vulgari de omnibus Latinis Commentatoribus opinione, et nimis incogitate, ut saepe, scripsit. In ipso loco Donati quem pro exemplo citat, cuique legenti apparebit, frustra eum et temere grammatistarum et nescio quorum nebulonum interpolationem somniare. Alia multa loca corrupta esse, sed scribarum erroribus, minime nego: quaedam etiam propter peculiarem causam interpolari potuisse concedo; cujus rei ipse exemplum paulo inferius afferam. Pari temeritate Barthius ad XI. Theb. 543 scripsit ex paraphraste non uno constipata videri quae Donati nomen praeferunt. Est suspicio temere projecta. Qui Donatum legerit, contrarium verum esse videbit. Si ita esset, multa in eo occurrerent sibi invicem repugnantia. Nunc ita omnia inter se congruunt, et passim alia aliis respondent, ut unius hominis opus esse manifestissimum sit. Hoc opus minus quam alia aliorum commentaria interpolationi aut mutilationi obnoxium esse potuit. Non continet omnis generis annotationes, nullo nexu inter se conjunctas, sed continuam Virgiliani operis paraphrasin, sensum et seriem carminis demonstrantem, simulque poetici artificii laudes in singulis locis praedicantem, insertis subinde observationibus quae ad meliorem harum virtutum intelligentiam conducere visae sint, nonnumquam etiam deductis inde praeceptis moralibus: ceterum, ut plurimum, non interrupta oratione, et toto opere uno et ae-

quali filo decurrente. Non multa e media oratione omissa esse, ex continuato plerumque verborum nexu apparet: non esse auctoris orationem in brevius contractam, inde intelligitur, quod haud sane verborum parcus sit, sed quae exponenda visa fuerint, late satis et diserte exponat. Denique una est et continua scriptio, cui aliena nulla aut paucissima videntur fuisse inserta: non est quaedam scholiorum congeries, cui addere aut detrahere in promtu fuit. Quare cum Servius plurima e Donato citet, quae in hisce commentariis non leguntur, vix credibile est olim in iis lecta fuisse. Dicat aliquis quaedam ex iis (quae tamen ipsa essent pauca de multis) legi potuisse in tertio decimo Tib. Cl. Donati libro, si forte is (quod incertum est) eum librum adjecerit: nempe quae ad XI, 31, et 316 a Servio citantur. Respondeo primum, Servium ea referre et refellere tamquam proprias Donati opiniones, cum tamen ipse Tib. Claudius profiteatur se tertium decimum librum ex veterum commentariis, qui nec Servium latebant, collecturum esse: deinde, ad XI. 316 Servium scripsisse: » *hoc loco* Donatus erravit," unde valde veri simile fieri videtur, in commentario ad eum locum, non alibi, haec a Donato dicta fuisse: quod si ita est, scribere ista eo loco non potuit Tib. Claudius, qui ipse dicat se talia ad librum tertium decimum reservasse. Nec probabile est, quod nonnulli putarunt, ea quae Servius citat propter ineptiam e Donati commentariis sublata esse. Nam praeterquam quod scholiastarum annotationes magis cumulari erroribus, quam ab iisdem liberari solerent: non omnia ista inepta dici merentur, neque cuncta, quae ex Donato citavit, ipse Servius improbat. Quid quod eosdem librarios, si ea sustulerint, alia nec pauca inseruisse oporteat? Saepe in Tib. Claudio diversa aut contraria legitur interpretatio, saepe multae longaeque periodi non tantum optime reliquae orationi connexae, ut nulla facile interpolationis suspicio oriri potuisset, verum etiam totius operis

colori mire congruentes: quae tamen repugnant Donati explicationi, a Servio commemoratae. Quin et in loco de Arunte ad plures adeo versus leguntur annotationes, in quibus vestigium apparet sententiae ab ea diversae, quam Donato tribuit Servius. Postremo, non pauca quae ex Donato Servius citavit, vix potuerunt in his Commentariis, quales nos habemus, scripta esse. Repugnant eorum consilio et indoli. Ut alia praeteream, vide ea, ubi Servius dicit Donatum scripsisse, de quodam Virgilii loco adhuc requirendum esse, item in aliis locis Virgilium repugnantia tradere iis quae alibi scripserat, aut non probanda in oratione ejus occurrere, vel parum veri similia in rebus. Vix, inquam, haec potuerunt legi in commentariis, quos habemus, in quibus nil nisi pulchre et bene et perspicuo intellectu positum in Virgilio agnoscitur, quaestionesque ac difficultates, quas grammatici de quibusdam locis movissent, tamquam *voces temerariorum* et *imperitorum obtrectationes* repelluntur. Opus Donati ut nunc legitur, nullam interpolationis suspicionem, nullam nisi in singulis verbis corruptelae movere potest; aequali tenore decurrit, ubique sui simile est, optime congruit indoli et consilio auctoris, ex praefatione cognoscendis. Ut vero illa quae Servius citat, in hisce libris scripta fuisse possint, necesse est multa a librariis fuisse ejecta, multa interposita et artificiose orationi innexa, denique totius operis faciem fuisse immutatam. Aut Tib. Donatus, qui exstat, alius est Donatus quam citatus a Servio: aut ita est auctus, truncatus, corruptus, emendatus, ut plane alius factus sit. Utrumque fere eodem rediret. Cur tamen non putemus alium esse scriptorem, cum in ipsis Mss. nomen ei tribuatur, diversum a nomine Aelii Donati, quem item in Virgilium commentatum esse constat, celeberrimi grammatici quem sine dubio intellexit Servius, sic simpliciter Donati nomen ponens.

Tu, vir praestantissime, in Hist. Crit. II. p. 54 ci-

tasti versus Hiobi Madeburgi, ubi ait Donatum res tractare, Servium verba explicare. Ipse verissime addidisti: »Servius utique in suis Commentariis grammaticum agere »potissimum voluit, Donati consilium fuit *aestheticam* »scribere quam vocant interpretationem." Ex antithesi apparet Te hoc dicere, Donatum *non* valde voluisse agere grammaticum. Quod et ipsemet confirmat in praefatione ad filium scribens, hoc ei commodum ex paterna traditione accedere posse, quod intellecturus sit, *Virgilium non grammaticos sed oratores praecipuos tradere debuisse;* ubi *oratores* ex consuetudine cadentis Latinitatis pro *rhetoribus* accipiendi sunt. — Verum ex hoc ipso apparet diversum eum esse ab Aelio Donato. Hic enim, si quis alius, grammaticum agere voluit et egregie egit. Fuit quidem titulo et professione *Orator Urbis Romae*, si fides est inscriptioni scholiorum in Terentium. Sed titulus non facit hominem: et re vera magis etiam grammaticum fuisse, ex operibus ejus apparet. S. Hieronymus Donatum magistrum suum *grammatici* nomine a Victorino *rhetore* separat, scribens in Chronico: »Victorinus Rhe»tor et Donatus grammaticus meus Romae insignes ha»bentur." Satis hinc apparet Hieronymum a Donato magis grammaticam didicisse, quam rhetoricam. Locum Hieronymi secuti videntur et Victor in Chronico dicens: »Victorinus Rhetor et Donatus Grammaticus Romae in»signes habentur;" et Auctor Vitae obscoenae Donati, a Fabricio in Bibl. Lat. editae: »Donatus natione Romanus, »Grammaticae professionis industria claruit, σύγχρονος ut »fertur rhetoris Victorini." Vita ista inscripta est: *Incipit vita Donati Grammatici*, et ad finem: *Explicit vita Domini Donati Grammatici.* Sed non aliunde magis apparet, Donatum sibi hoc nomen quasi proprium vindicasse, quam ex eo quod tamquam typus et exemplar grammatici in rè philosophica jam a Boëthio citetur in Comm. ad libros Aristot. de interpretat.: »Ipsa grammatica non

» suscipit magis et minus. Nullus enim dicit alteram altera » magis esse grammaticam: sed eum qui grammatica ipsa » participat, dicimus literatum. literatus autem suscipit » magis et minus: ut Donatus grammaticus plus erat aetate » jam provecta grammaticus, id est literatus, quam cum » primum ad hujusmodi studia devenisset." — Sic Arusianus Messius, item *Orator Urbis Romae*, scripsit *Exempla elocutionum*, libellum prorsus grammaticum: quae res fraudi fuit P. Bondamo, qui in titulo pro OR. i. e. *oratoris*, corrigendum putabat GR. i. e. *grammatici*. Eadem professio fuit Julii Rufiniani, qui tamen in libro *de Schematis Lexeos*, si verum volumus, tam Grammaticum, quam Rhetorem, egit. Denique *oratores* fuerunt Felix et alii, qui veterum exemplaria emendarunt, ut Codicum *subscriptiones* docent. Vid. Ruhnken. ad Rutil. Lup. Praef. p. XXVI.

Tiberius vero Donatus in interpretando Virgilio multo magis, grammatica doctrina plerumque neglecta, totus fere in rhetorica versatur. Heynius in Elencho editt. Virgilii ad annum 1489 vocat Donati commentarios *inepti hominis opus, cum totus in eo sit ut poetam ad rhetorica praecepta exigat.* Ipsius verba in Praef. ad filium jam supra memoravi: » Ne forte nescias, quid tibi commodi ex hac » traditione possit accedere, paucis accipe. Si Maronis » carmina competenter attenderis, et eorum mentem con» grue comprehenderis, invenies in poëta rhetorem sum» mum, atque inde intelliges Virgilium non grammaticos » sed praecipuos oratores tradere debuisse. Idem enim » tibi (ut aliquibus locis exempli causa posuimus) artem » plenissimam dicendi demonstrabit." Vides eum in Virgilio *rhetorem summum* monstrare voluisse. Incipit statim ab hoc, ut argumentum poemati rhetoricum tribuat: » Pri» mum igitur et ante omnia sciendum est, quod materiae » genus Maro noster aggressus sit: hoc enim nisi inter » initia fuerit cognitum, vehementer errabitur: et certe lau-

» dandum[1]) est, quod idcirco incognitum est et latens, » quia miro artis genere laudationis ipsius, dum gesta » Aeneae percurreret, incidentia quoque aliarum materiarum » genera complexus ostenditur, nec tamen aliena a partibus » laudis." Aeneam sibi laudandum proposuisse poëtam ait, et quae in eo vituperanda essent, oratorie in laudem detorsisse: personas autem inimicas Aeneae (ut ipse rhetorum verbo dicit) *deformasse.* Ad VII, 645. scripsit: » Catalogus iste huic interpretationum libro non fuerat inserendus. Nihil enim habet, quod artificiose possit exponi;" ubi Fabricius in Bibl. Latina T. II. p. 248 vocabulum *artificiose* recte interpretatur: ῥητορικῶς. Talem igitur expositionem praecipue spectavit, grammaticam parvi pendit. Ita ad II, 169 dicit poetam scripsisse *more praecipui oratoris*; ad I, 37, *non sine rhetorica disciplina*; ad I, 65, *fecisse secundum artis praecepta:* et similia saepissime alibi. Denique ubicumque plus posuit quam nudam Virgilii verborum paraphrasin, et latius evagatur, rarius aliquid grammatici generis aut antiquitatum doctrinae attingit, et haec ipsa numquam ex interiori eruditione deprompta: verum aut rhetorica artificia et inventionis elocutionisque Virgilianae virtutes tractat, aut praecepta moralia tradit, quae ipsum Virgilium docere voluisse lectores suis carminibus putat; exemploque Interpretationum suarum probare studet, quod in Praefatione dixit: » Virgiliani carminis lector rhetoricis praeceptis instrui potest, » et omnia vivendi agendique officia reperire." Atque ex verbis illis: *intelliges Virgilium non grammaticos sed oratores praecipuos tradere debuisse*, probabile mihi fieri videtur, ipsum rhetoricae artis magistrum fuisse. Idem totius operis indoles veri simile facit, et orationis color. Stilus enim saepe est declamatorius: et sicut Virgilium

---

[1]) Forte legendum est: *et certe laudativum est.* Cf. ipsum Donatum ad XI. Aen. 295.

Aeneae laudationem scripsisse putavit, ita ipsum dicere possis simul paraphrasin et laudationem Virgiliani carminis composuisse. Adde, quod ad VII, 359 sermonem Amatae ad Latinum ita interpretatus est, ut plane declamationem de schola componeret super themate Virgiliano, seque hominem proderet rhetoricis exercitiis assuetum.

Merula ad Ennium p. 56: » Supposititium appello » Donatum, nec injuria. Quae enim tanti momenti ratio » me inducet, ut credam eum esse Donatum, diligentem » alioquin scriptorum veterum interpretem, cui tam obsti» nata et morum qui retro, et auctorum in Commentariis » sane prolixis praetermissio? Mea mens illa: Quae Do» nati nomine in Virgilium circumferuntur, non Donati » esse, sed alicujus, non ineruditi tamen, Paraphrastis." — Egregie Merula, et plane ei assentior propter has *causas* ea Commentaria Aelio Donato abjudicanti. Sed sunt nimirum alterius Donati, cujus et nomen in titulo praeferunt. [1]) —

S. Hieronymus, lib. I in Rufinum: » Puto, quod » puer legeris Aspri in Virgilium commentarios, Vulcatii » in Orationes Ciceronis, Victorini in dialogos ejus, et in » Terentii Comoedias praeceptoris mei Donati, atque in » Virgilium, et aliorum in alios. Argue interpretes eorum, » quare non unam explicationem secuti sint, et in eadem

---

[1]) Prudenter etiam Merula *non ineruditum* paraphrastem appellavit. Minus mihi placet P. Nannii judicium qui, Donati commentarios vocans *inscitissimas nugas, nec rebus nec elegantia sermonis instructas*, in miram delatus est opinionem, ut putaret paraphrasin esse, non Virgilii, sed commentariorum veri Donati. » Aliquis, inquit, indoctus indoctissimis verbis » paraphrasin scripsit in Donatum: id jam mundo obtruditur pro Donato." Fuerunt adeo qui crederent Fabricium hunc interpretem, totum vel partim, confinxisse. v. Barth. ad Stat. Theb. IV. 445 et XI, 543. Enimvero non Fabricius primus Donatum edidit, sed secutus est editionem Neapolitanam, quam secum Neapoli attulerat. Vide ipsius Praefationem et epigramma in titulo, continens colloquium inter hospitem et bibliopolam, auctore H. M. A. (Hiobo Madeburgo Annebergensi).

» re quid vel sibi vel aliis videatur, enumerent." Si haec, quae citat, Donati commentaria in Virgilium superessent, quam multas variorum interpretum sententias inde disceremus, additis eorum nominibus. At Tib. Donatus numquam plurium interpretum opiniones enumerat rationesve eorum aut nomina ponit: subinde tantum aliorum dissensum uno verbo indicat, ita ut saepe cunctos stilo declamatorio rejiciat; ut ad I, 27: »Hoc loco doctores falluntur;" ibid. 75: »Hoc loco inanis intellectus homines, omisso Virgilii » puro et vero, sic suspicionibus in falsam interpretationem » ducit, ut asserant, etc." (ita enim is locus corrigendus est, adjuvante Ms. Harlem.); ibid. 179: »Hic errant male » interpretantes et disputando pessime suum confitentur » errorem;" (loquitur de interpretatione, quam secutus est ipse Aelius Donatus, de Tropis p. 1777); ibid. 185: » Videamus quemadmodum de ipsis cervis locutus sit poe» ta; reprehenditur enim temerariorum voce (ita *Ms. Har*» *lem.*) quod dixerit, *a tergo sequuntur*; et revera vitium » est, non poetae, sed pessime pronunciantium;" ad IV, 384: » Hoc loco *absentem* alii mortuam volunt, et dant » exempla impropria, ut non uno sed plurimis locis pro» bentur errare;" ad IV, 625: »Qui inania sentire volue» runt, dicunt hoc in Hannibale exstitisse, quod est absur» dum;" ad V, 2: »Qui intellectum loci istius duris » interpretationibus dissipant, dimisso eo quod intelligi » debet, argumentatione superflua perquirunt, quod poeta » non sensit." — Talia non sunt ex ratione Aelii Donati.

Sat multa dixisse videor, ut Tib. Claudium Donatum ab Aelio Donato diversum esse probarem. De ipso Tib. Claudio quae dicam, pauca habeo. Barthius ad Stat. XI Theb. 543 dicit locum quemdam ejus, quem citat, *antiquitatem non infimam sapere.* Fabricio in Bibl. Lat. To. I, p. 209 (ed. 1721), III p. 743, Bibl. Med. et Infimae Latinitatis V. II. p. 178, et Saxio in Onom. I p. 408 Aelio Donato recentior, sed incertae aetatis habetur: item

Heynio in Catalogo Scholiastarum, et initio Notarum ad Vitam Virgilii. Addit Heynius, Prisciano tamen et Servio, qui eum laudant, antiquiorem fuisse. Quod argumentum cadere necesse est, si probavi non hunc, sed alterum Donatum, a Servio et Prisciano citari. Ceterum juniorem Aelio Donato esse, ex totius operis colore et Latinitate, qua utitur, probabile puto. Fuisse tamen paganae religioni addictum, et ex animo deditum, multi loci testantur. In Praefatione, Virgilii lectionem etiam propterea commendat, quod *magisterio ejus instrui possint qui se aptant ad deorum cultum futuraque noscenda.* Vide, praeter alia, ad I, 28, 442 et 740. II, 165. V, 709. VII, 259. IX, 247, 404 et 627. Uno in loco, qualis nunc in editionibus legitur, interpolator aliquis, pius ille quidem et sanctus, non cogitavit se in pagano scriptore versari. Bonum factum, quod sincera scriptura in Ms. Harlemensi servata sit. Nam ad X, 325: *Dum sequeris Clytium infelix*, *nova gaudia*, *Cydon*, *Dardania stratus dextra*, *securus amorum*, *Qui juvenum tibi semper erant*, *miserande*, *jaceres*, haec genuina Donati verba exstant in Ms. Harl.: »Viderat enim adolescentem Clytium — quem »dum securus sequitur, amoris ardore possessus, qui amor »juvenibus solet esse conveniens, salutis suae immemor »factus est." Exstitit quidam, qui noluit haec ita scripta in juvenum oculos venire: unde factum est ut hoc modo interpolata hucusque lecta fuerint: » — amoris ardore pos»sessus est, qui amor exsecrabilis juvenibus scelestissimis »solet inesse, quo nihil naturae magis repugnare videtur, »nihilque Deo gravius, quod plurimorum miserabiles exitus »ostendunt. Nec poeta aliud hic innuit, quam eos, qui »foedissimum hoc sequuntur vitium, tandem infelix pati »exitium. Dum igitur hoc sequitur, salutis suae immemor »factus est." Et mox cum similiter Donatus in paraphrasi posuisset, ut verba ejus servavit Ms: »Nova amorum »gaudia sequeris, qui amores esse juvenum solent;" in

editionibus legitur: » — qui amores esse scelestorum juvenum solent." Ita ille interpolator; cujus factum non reprehendo: et si ipse adolescentibus Donati commentarios legendos darem, interpolatum hunc locum dare mallem, quam sincerum. In eo tamen minus perite egit, quod oblitus fuisse videatur se paganum scriptorem tractare; tum, quod ipsum sibi contraria dicentem effecerit. Quem enim Donatum videri voluit haec scripsisse: » Qui amor » exsecrabilis juvenibus scelestissimis solet inesse. Nec » poeta aliud hic innuit quam eos qui foedissimum hoc » sequuntur vitium, tandem infelix pati exitium;" in eodem haec verba, continuo sequentia, reliquit: » Apparet au- » tem hunc notari Virgilii carminibus, non quia adoles- » centis amore captus est, quod tunc licitum fuit." — Ad rem conf. Donat. ad I, 28 et V, 296.

Commentarios in Virgilium Donatus senex scripsit[1], ut apparet ex epistola ad finem, ubi ait: » Incertum metuens » vitae, quod magis senibus incumbit et proximum est, » cursim scripsi quae potui, relinquens plurima." *Interpretationum* titulum, quem Codices praeferunt, genuinum et ab ipso auctore profectum esse, docent verba ejus ad VII, 645: » Catalogus iste huic interpretationum libro » non fuerat inserendus." Conf. et epistolam modo citatam: » Ea saltem edi volui, quae tibi ad caetera intel- » ligenda aditus et vias aperirent, ut si quid mihi adversi » accideret, haberes interpretationum mearum quod imita- » reris exemplo (l. *exemplum*)." His Interpretationibus, in duodecim libros divisis, quibus totidem Virgilii explicantur, tertium decimum adjungere voluit, de qua re ipse agit ad VII, 645: » Catalogus iste huic Interpretationum » libro non fuerat inserendus. Nihil enim habet, quod

---

[1]) Scripsit ad filium, ut saepe antiqui libros didacticos. Vid. Claudius ad titulum libelli Vibii Sequestris.

» artificiose possit exponi. Est quippe nominibus homi-
» num, gentium, fluviorum, deorum, terrarum, montium,
» herbarum, provinciarum, fontium plenus et refertus.
» Tamen ne quid libro decerpi videatur, dicemus aliqua
» ejus uno libro, qui tertius decimus erit, cum totius
» operis complexione dicturi, ut historiae per duodecim li-
» bros sparsae, et cetera quae supradicta non sunt, possint
» evidenter apparere." Cujus loci mutanda interpunctio est in hunc modum: » Ne quid libro decerpi videatur,
» dicemus aliqua ejus: (reliqua) uno libro, qui tertius deci-
» mus erit, cum totius operis complexione dicturi etc." — Et eo quidem loco non dubitasse videtur, quin tertium decimum librum additurus esset; cum tamen duodecim libros absolvisset, incertus fuisse, an postremum quoque complere valeret: certe duodecim illos interim evulgavit, et in epistola ad filium, calci addita, haec scripsit: » Quia
» ex communi voto contingit diutius vivere, hos libros
» interim legendos curavi: mihi enim certum est dehinc
» me non esse deserturum in te studium patris, ut tibi,
» quantum potuero, pari praeparem cura, quae propter
» supra dictam causam videor omisisse. Sic enim fiet, ut
» origines singularum personarum, quas Virgilius Aeneidos
» libris comprehendit, et quae in aliquo studio floruerunt
» (l. *floruerint*), aut nullius fuerint meriti, vel contraria
» deligendo depressae sint, simul etiam cognosces (l. *cog-*
» *noscas*) oppidorum insularumque rationem, regionum,
» montium, camporum vel fluminum, templorum ac fano-
» rum, herbarum, quin etiam et lignorum vocabula, et
» cetera his similia. Sed haec sic accipias velim, ut ex
» commentariis scias veterum me esse collecturum: antiqua
» enim et fabulosa ac longinquitatis causa incognita, nisi
» priscorum docente memoria non potuerunt (f. *poterunt*)
» explicari. Proinde si haec longiori ejus (f. *longioris*
» *aevi*) suffragio supplere valuero, erit tibi gratissimum,
» labore potius patrio ista didicisse, quam tuo. Si minus,

» legendi sunt tibi veteres necessario: collecta condiscas." (Ita postrema interpungenda sunt).

Hunc tertium decimum librum a Donato editum esse, sed injuria temporum periisse putaverunt Georgius Fabricius ad Donati commentarios VIII, 455, itemque in Praefat. ad Horatium (quem Fabricii locum Tu retulisti, Hist. Crit. III. p. 4), et Barthius ad Stat. XI Theb. 543. Prudentius rem in medio reliquit Jo. Alb. Fabricius in Bibl. Lat. T. II. p. 248 (ed. 1721): itaque in Bibl. Med. et Infimae Latinitatis V. II. p. 178, Barthii verba transsumens, pro *comprehendit*, quo ille usus erat, scripsit: *comprehendere voluit.* Tu quoque in Hist. Crit. II. p. 58 rectissime monuisti, incertum esse, an Donatus hunc librum absolverit. Opinor, si absolvisset, adjectus fuisset exemplaribus, et etiamnunc in Codicibus legeretur: quod minime quidem certum argumentum est, sed tamen ejusmodi, ut propterea paulo magis probabile esse putem, non additum hunc librum a Donato quam additum esse. Ceterum assentiendum puto Barthio l. c. optanti ut vel cum jactura reliquorum commentariorum, unus hic liber, si tamen scriptus est, exstaret. Addit Barthius: » Multo utique majore » eruditionis fama nunc esset (Virgilius), omnium utique » post sacram Scripturam, pretiosissimus et omni admira» tione dignissimus author." Nihilominus, si hic liber exstaret, parum inde laudis Donato accessurum fuisse putem. Ipse enim profitetur, se ex veterum commentariis[1]) omnia esse collecturum, ut suo labore aliorum labor levaretur: si non absolverit, filium suum monet ut veterum commentaria perlegat, unde nimirum eadem discere possit. Multum diversa ratione igitur in hoc libro usus fuisset Donatus, quam in reliquis, de quibus in praefatione ait: » Cum adverterem, nihil magistros conferre quod » sapiat, scriptores autem commentariorum non docendi

---

[1]) *Veteres* commentatores memorat etiam ad X, 402.

» studio, sed memoriae suae causa quaedam favorabili » studio, multa tamen involute reliquisse, haec, fili cha» rissime, tua causa conscripsi, non ut sola perlegas, sed » ut collatione habita intelligas, quid tibi ex illorum, » quidve ex paterno labore sequendum sit. Non enim aut » illi omnia complexi sunt, aut ego tanta composui, quae » te possint ad pleni intellectus effectum competenter in» struere." Scilicet in prioribus libris ubi talia fere tractavit, in quibus ipse probe exercitatus fuisse videtur, suo magis Marte rem egit, et sua ipse via ingressus est; quamquam sicubi quaedam ex antiquitatis doctrina attingit, et in illis usurpare soleat *ajunt*, *dicunt*, *fertur* vel similes formulas, unde apparet eum ex aliis haurire. In hoc vero postremo libro, in quo historica scientia et varia eruditione opus erat, omnia ex aliis commentatoribus desumturus erat. Sed propter hoc ipsum mallem nos postremum librum habere, quam reliquos omnes. Pluris facerem veterum commentariorum reliquias, in illis praecipue rebus versantes, quae ad antiquam historiam et variam eruditionem pertinent: quam totos duodecim libros ex ipsius Donati ingenio profectos. Non ideo dixi quod hujus Donati ingenium prorsus spernendum existimem. Imo credo etiam Heynium, ut erat vir ille Summus veteribus grammaticis et scholiastis paulo iniquior, fortasse durius, quam par erat, hos Donati commentarios *inepti hominis opus* appellasse. Quod poetam ad rhetorica praecepta exigendum sibi putaverit, hoc temporum, non hominis vitium est: quod hanc ipsam rem, per se non probandam, satis eleganter nec plerumque inscite insulseque perfecerit, haec vero ipsius hominis virtus fuit. Nemo qui legerit, negabit, pro temporibus quibus vixisse eum probabile est, opus esse eleganti sermone conscriptum: et auctorem neutiquam destitutum fuisse aut inveniendi aut eloquendi facultate. Si caruit grammatica eruditione itemque aliarum quarumdam rerum penitiori doctrina, caruit

etiam eruditis ineptiis, et hinc nonnulla rectius intellexit. Sed nimirum in veteribus scholiastis non praecipue quaerimus, qualem Donatum dedisse Tu verissime monuisti, *aestheticam interpretationem.* Nam in hac parte multum ab interpretibus recentiorum temporum superati sunt, qui rectiori judicio et pulchri sensu in his rebus utuntur. Alia veterum commentatorum utilitas est. Si recte haec Wyttenbachii verba a Te in Hist. Crit. I. p. 6 ad scholiastas quoque relata sunt (ego autem rectissime Te fecisse puto): »Et Rhetor et Grammaticus ita imprimis quisque nobis »majoris pretii aestimandus est, ut frequentior est in »memorandis cum rebus ex Historia et Antiquitate non »aliunde cognitis, tum locis et notitiis Scriptorum deper»ditorum;" — sequitur, Donati commentaria parvi nobis aestimanda esse. Nam nihil aut paucissima ejus generis continent. Quare hanc fere solam ex iis utilitatem posse percipi crediderim, quod conducant ad cognoscendam historiam interpretationis Virgilianae: indeque discamus, quomodo cum universum Virgilii carmen, tum singula loca, et ab ipso Donato, et ab aliis ejus aetate aut ante eum, intellecta et explicata fuerint.

Quod dixi plerumque ineptiis ex eruditione grammatica carere Donatum, non ita intelligendum est, quasi nusquam in hoc genere sit lapsus. Ineptit in voce *occidere* ad I, 238, et XII, 544; inepte VI, 595 *Tityon* pro nomine indeclinabili habuit. Ridicule II, 492 *custodes* de januarum postibus, et VI, 360 *uncas manus* de ferreis instrumentis intellexit. Omnium ineptissime ad II, 212: *Diffugimus visu exsangues* annotavit: »Quoniam de an»guibus loquebatur, allusit ut diceret: *diffugimus exan»gues;*" quibus similes ineptias vide ib. ad v. 223, ad III, 95 de vocabulis *ubere laeto;* ad V, 491. IX, 72. X, 680. Imprimis frequens est in hoc, ut vocabulum aliquod semel positum bis intelligendum dicat. Ipse ait ad I, 48: »Certe et hoc pluribus locis ostendimus, unam

» orationis partem non semel, sed saepius accipiendam." Saepe fecit inepte, ut ad XI, 534: *tristis Latonia voces Ore dabat*, quod interpretatur: *tristis Latonia dabat tristes voces*, dicens se poetae morem retinere quem ubique servaverit. Nollem Donatum secutum esse et laudasse Broukhusium ad Propert. p. 163. Eadem chorda in plurimis locis oberravit, ex. gr. VI, 740. VIII, 365. XI, 185. Metri neglectum notavit Henr. Stephanus de delectu in lection. Virg. p. 49 in annotatione ejus ad VI, 837: *Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho*, ubi exponit, Capitolia triumphis ornata. Prorsus similiter lapsus est II, 479 et IV, 637. Quid dicam quam multis locis propter exquisitioris sermonis inscientiam et doctrinae defectum verborum sententiam assequi nequiverit: quam multa per nimias argutias contortis explicationibus perperam sit interpretatus. Imprimis in vi et virtutibus orationis Virgilianae investigandis, dici non potest quam saepe multa in poetae verbis quaerat de quibus ille ne cogitavit quidem. Sic ad II, 324 vehementer laudat Virgilii artificium quia cum Aeneas rogasset: *Quo res summa loco?* respondit Panthus: *Venit summa dies*, eodem vocabulo *summa* repetito. Ad idem genus pertinet quod in pronominibus et nominibus a Virgilio usurpatis, ubique fere magnum intellectum et vim sententiae inesse putet, ut ipse ait ad I, 44: »*Illum* quod dixit, et ejus nomen suppressit, » hoc est quod plurimis locis diximus, magnum intellec» tum ex pronominibus nasci;" et III, 201: » Apparet » ergo (ut saepius diximus) in pronominibus esse plerum» que maximum intellectum." Ita et in nominibus propriis magnam ubique vim quaerit [1]), et ab inimicis semper in convicii significatione, ab amicis in laudem posita esse putat. Adde, quod ubi Virgilius numerum aliquarum

---

1) Ad VI, 584: » Jovis nomen debemus extollere: est enim et in » hominibus magnae significatio potestatis." L. *et in nominibus*.

rerum non definivit, sed generaliter locutus est, solitus sit monere poetam hoc ideo fecisse, quia in generalitate plus plerumque cogitetur, quam revera specialitas exhibere possit. Talia, quae in nonnullis locis vera esse possunt, Donatus ad fastidium usque ubique repetit, et saepius inepte adhibet. Porro, ut singula sententiarum membra et singula verba non superflue posita esse demonstret, saepe puerilia et nimium aperta monet: et omnino multa habet quae sponte intelliguntur, et hinc fere sine utilitate longus est. Saepe hoc notavit Landinus, et propterea multis locis nihil in Donato se reperisse testatur dignum quod excerperetur, ut ad VI, 784: VII, 711: X, 728.

Aliorum scriptorum locis, quos saepe et e multis citare solet Aelius Donatus, hic noster raro utitur, et ex tribus tantum auctoribus: *Terentio*, *Sallustio* et *Cicerone*. Hi enim cum Virgilio prae caeteris in scholis frequenter lectitabantur, et a grammaticis et rhetoribus, qui non utebantur remotiore doctrina, fere soli solebant citari. Sic Arusianus Messius, Orator Urbis Romae, scripsit Quadrigam sive Exempla elocutionum, ex his quatuor scriptoribus petita. De hac re verbo dixi in Dissertatiuncula de Arusiano Messio p. 35. Locorum a Donato citatorum quoniam plenum indicem nusquam reperi, ipse catalogum apponam, additis variantibus e Ms. Harlemensi.

TERENTIUS.

ad I Aen. 197. » Vacuae quippe a doloribus perso» nae potest e diverso responderi Terentiano dicto: *Tu si* » *hic sis, aliter sentias.*" — Ita et Ms. Locus est Andr. II, 1, 10, ubi Bentlejus e conjectura: *aliter censeas.*

ibid. 260. » Hoc esse servandum in talibus causis » etiam Terentius docet, qui dixit in Andria: *Sed ubi* » *inveniam Pamphilum, Ut metum in quo nunc est adi*» *mam, atque expleam animum gaudio?* Non enim con-

» vertere animum quispiam potest, nisi fuerit in timoris » causa securior factus." — Ita et Ms., nisi quod recte: *convertere animum ad audiendum quisquam potest.* Locus est II, 2, 2: quem iterum Bentlejus conjectura tentavit. Ordinem in illo loco a Terentio servatum laudant Ael. Donatus et Eugraphius, item Servius ad I Aen. 720.

ib. 313. » Accedebat ad hominis castitatem malorum » tantorum saeva congeries, quae etiam libidinosos revocat » a Veneris (f. *venereis*) voluptatibus, ut Terentius: *Nulla* » *adeo ex re istud fit, nisi ex nimio ocio.*" — Ita plane etiam Ms. habet. Locus autem est Heaut. I, 1, 57, et ipse a Bentlejo mutatus.

ib. 686: » Huic sententiae etiam Terentius assenti- » tur, qui dixit: *Sine Cerere et Libero friget Venus.*" — Ms: *etiam Terentius attestatur.* — Eundem locum respexit ad IV, 193: » Fervent enim Venereae voluptates, » sicut Terentius ait, ubi intervenerint Ceres et Liber."

ad II, 62: » Et Terentiana sententia hoc loquitur, » non fieri sine magno periculo facinus magnum aut me- » morabile." — Terentii locus est Heaut. II, 3, 73: » Non » fit sine periclo facinus magnum et memorabile;" quem expressit Auctor monostichi in Fabricii Bibl. Lat. T. III. p. 312 et in Anth. Lat. T. I. p. 573: » Magno conficitur » discrimine res memoranda:" ut recte notatum Heumanno in Poeciles T. I. p. 268. Donatus iterum in mente habuisse videtur ad IX Aen. 205: » Novi facinus magnum » sine magno periculo compleri non posse."

ad IV, 54: » Terentiana sententia huic loco conve- » nit, qua dictum est: *Dum in dubio est animus paulo* » *momento huc vel illuc impellitur.*" — Item ad VIII, 387: » In hujusmodi cunctationibus quid sperandum sit, » Terentius docuit, qui ait: *Dum in dubio est animus* » *paulo momento huc vel illuc impellitur.*" — Et ad XII, 229: » Huic loco consentit Terentiana sententia, qua dic- » tum est: *Dum in dubio est animus paulo momento*

» *huc vel illuc impellitur.*" — Locus est And. I, 5, 31. Firmatur hinc optimorum Terentii Codicum lectio, cum alii voculam *vel* omittant, quae deest etiam apud Ael. Donatum ad Adelph. III, 4, 24. et Lactantium ad Stat. XI Theb. 139.

IV, 211: » Ait *foemina*, quasi abjecti sexus. Nam » Terentius ita ex iracundi senis persona ait: *Tu, inquam,* » *mulier, quae me omnino lapidem, haud hominem pu-* » *tas.*" — Ms: *Nam et Terentius*, et mox: *non hominem.* Eadem varietas in Terentio Hec. II, 1, 17, ubi conf. Ael. Donatum.

ib. 295: » Ille est gratus cujuslibet jussionis effec- » tor, qui praeceptis laetus obsequitur. Hoc denique et » Terentius tetigit dicendo: *Nulla est tam facilis res,* » *quin difficilis siet, Quam invitus facias.*" — Ita plane Ms., nisi quod male: *difficilis fiet.* Locus est Heaut. IV, 6, 1, ubi amicus quidam noster eleganter, ut solet, nuper conjecit legendum esse: *Quum invitus facias.* In vulgata lectione absurdam sententiam esse ait. Credo: sed est elegans et studio quaesita absurditas, quod Graeci vocant Oxymoron. Vulgatum, praeter Tib. Donatum, vidit etiam S. Ambrosius, et imitari non dubitavit, Hexaem. V, 15.

ib. 373: » Egregia duorum auctorum dicta, interro- » gantis unum, alterum judicantis. Terentius quippe ait: » *Pro Jupiter, ubinam est fides?* putavit enim quaeren- » dam, existimans posse congruam reperiri. Virgilius au- » tem judicavit quaerendam non esse, quod reperiri tuta » non possit." — Nil variat Ms., nisi quod: *Proh Juppiter.* In Terentii Heaut. II, 3, 15 legitur: *O Juppiter.* Ael. Donatus ad Adelph. III, 2, 32, eadem loca Virgilii et Terentii comparans, etiam citat *Pro Juppiter.* Ibi Terentius: *Quid credas jam, aut cui credas?* quem locum hic affert Servius.

ad V, 22: » Hoc est, quod etiam Terentius mo- » net: *Quando*, inquit, *non potest fieri quod vis, id*

» *velis quod possis.*" — Ms. *possit*, ut legitur in Andr. II, 1, 5, et ipse citat Donatus ad v. 710: » Huic sen-» tentiae et Terentiana consentit, dicta aliis verbis, mente » tamen eadem: *Quando*, inquit, *non potest fieri quod » vis: id velis quod possit;*" quem Donati locum Bentlejus ad Terentium citavit ut lectionem *quando* firmaret, et alterum ad v. 22 addere poterat. Ad v. 23 Donatus dicens: » Pergamus, quo possumus, quia quo volumus non licet;" in mente fortasse habuit alium ex eadem comoedia locum IV, 5, 10: » Ut quimus, ajunt, quando ut volumus non » licet."

ib. 343: » Huic loco Terentianum convenit dictum: » *Virgo*, inquit, *pulchra*, *et quo magis diceres*, *Nihil » aderat adjumenti ad pulchritudinem*, *Capillus passus*, » *nudus pes*, *ipsa horrida*, *Lachrymae*, *vestitus turpis*, » *ut quidquid boni In ipsa inesset forma*, *haec formam » extinguerent.* Revera enim ipsa est incorruptibilis pul-» chritudo, quae tunc quoque inviolata perdurat, quum » pulsatur adversis, et sui detrimenta non sentit." — Ms: *ut*, *ni vis boni;* ut legitur apud Terent. Phorm. I, 2, 57.

ad VI, 199: » Unde et *involare* dicimus, quum ali-» quid furtim vola manus subtrahitur: et *involare* rursum, » cum violentae manus in aliquem diriguntur, sicuti Te-» rentius ait: *Illi facile in oculos involem venefico.*" — Ms. habet: *ait: In faciem involem venefico.* Locus est Eunuch. IV, 3, 6, ubi: *facile illi*, non: *illi facile.* Caeterum melius de hoc verbo Ael. Donatus ad Eun. V, 2, 20.

ib. 805: » Hanc dicendi artem exsecutus est in co-» moedia Terentius, assentatoris officium in eo stare sig-» nificans, ut in comparatione sit ille potior, qui laudatur. » Ait enim Thraso miles: *Magnas vero agere gratias » Thais mihi?* ille si diceret *magnas*, qui interrogabatur, » non promerebatur patronum, cui placere cupiebat: sed » ait *Ingentes*, ut aestimationem audientis assentatione » superaret." — In Ms. *agere* ante *gratias* deest; et mox

legitur: *extimationem audientis.* Locus est Eun. III, 1, init., de quo eadem est aliorum observatio: Ciceronis Lael. 26, Aelii Donati, et Eugraphii.

ad VII, 268: » Verecunda oblatio et adversus ex- » probrationem omnem satis munita, nec in hunc locum » conveniret Terentiana sententia, qua dictum est: *Ali- » quid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest,* » *Itur ad me.* Et revera quum quis offert filiam suam, » cavere debet ne in suspicionem contrariam veniat." — Melius Ms. *ne in hunc locum;* mox minus bene: *alunt et quoniam memini.* Locus est Andr. I, 5, 15; quem in mente etiam habuit Donatus ad v. 359, scribens: » Quos putamus illius perfidi nunc esse tractatus? aliquid » monstruosum existimat genuisse, monstrum alere, et » monstrum deforme nutrire: non se enim praelatum ce- » teris putat, sed conjunctionem nostram cunctos incolas » horruisse." —

ad VIII, 130: » Quum multa congereret, primam » posuit virtutem suam: secundum illam sententiam, quam » Terentius tenuit dicens: *Mihi spes omnis in memet* » *sita est.*" — Ita et Ms. Legitur in Phorm. I, 2, 89: *In me omnis spes mihi est.* De memoria Donatus citasse videtur.

ad XI, 108: » Nulla est enim culpa, sicuti et Te- » rentio placet, ulcisci adversarios, aut qua via te captent » illi, eadem ipsos capi." — Locus est in Hecyra I, 1, 15: » Injurium autem est ulcisci adversarios, Aut » qua via te captent illi, eadem ipsos capi?" ubi Bentlejus edidit: *captent te illi,* alii vocem *illi* ejecerunt.

ibid. 180: » Terentius sic: *Quid meritus?* Huic dicto » responsum est: *Crucem.*" — Ms: *Quid meritis.* Locus est Andr. III, 5, 15; ubi alii: *quid meritus es?* Apud Servium ad I Aen. 519, ubi hic locus citatur, editiones verbum substantivum habent, codices Burmanni omittunt.

ad XII, 41: » *Fors dicta refutet;* quod est in usu

» vulgi: *quod non faciat deus.* Nam triste aliquid nomi-» naturi, optant primo ne accidat, ne omen afferre vide-» antur. Hoc et Terentius in Andria posuit aliis verbis » expressum: *Si eveniat, quam dii prohibeant, discessio.* » Prius optavit ne fieret, et sic protulit, quam optabat, » ne fieret." — Ms. corrupte: *Sic eveniant.* Ceterum in Andr. III, 3, 36 legitur: *quod Di prohibeant.*

SALLUSTIUS.

ad I, 1. ubi Sallustius citatur, nil Codex variat.

ibid. 10. » Hoc hominum genus meliore testimonio » Sallustius persequitur, et contrarios occulte reprehendit, » dicens: *Et injuria accepta ignoscere quam persequi » malebant.*" — Ms. recte: *Sallustius prosequitur.* Ceterum in Cat. 9 vulgo alio ordine: *accepta injuria.* cf. Muncker. ad Hygin. p. 106.

ib. 37: » *Incepta* sunt dispositiones et destinationes » animorum, sicut Sallustius ait: *Nam talia incepta con-» sultorem vertissent reipublicae pestem factura.*" — Ms: *Nam talia cepta non consultorum vertissent.* — Item ad IV, 316: » *Incepta* vero dispositiones sunt, ut plurimis » locis et apud plurimos lectum est, et definitiones ani-» morum significant: ut ipse Virgilius: *Mene incepto » desistere victam?* Et Sallustius: *Nam talia incepta ni » inconsulto revertissent reip. pestem factura.*" — Ubi nihil variat Ms, nisi quod *ni* ante *inconsulto* omittit. Apparet legendum esse: *ni in consultorem vertissent.*

I. 166. » Intelligere autem debemus (quod in omni-» bus locorum descriptionibus curandum est) locum poetam » sic descripsisse, ut ingredientem. Hunc morem etiam » Sallustium tenuisse manifestum est, ubi dexteram, vel » laevam dicit, a tergo, et a fronte, se velut consistentem » in uno loco faciat." — Recte Ms: *ut se velut consis-tentem.*

ib. 349: »*Namque*, ut Sallustius ait, *avaritia fi*»*dem*, *probitatem*, *caeterasque bonas artes subvertit: pro* »*iis superbiam*, *crudelitatem*, *deos negligere*, *omnia ve*»*nalia habere edocuit*, et caetera." — Ms: *artes bonas*, ut vulgo in Cat. 10. Consentit in: *pro iis*, cum apud Sallustium vulgetur: *pro his*.

ib. 698. Citatur Sallustius.

ad II, 442: »Quod *scalas* dixit: non tantum plures »asseruit, verum etiam docuit plurali numero dici opor»tere. Docet hoc etiam Sallustius quum ait: *Postquam* »*unae atque alterae scalae commutatae sunt*." — Ms: *qui ait*; ceterum verba Sallustii pariter scripta exhibet, cum tamen in Jug. 60 ita legantur: *Ubi unae atque alterae scalae comminutae*. Pro *commutatae* quin et Donatus scripserit *comminutae*, non dubitandum puto.

ibid. 792: »More Sallustii dixit: *conatus sum*. Ibi »enim ponitur conatus, ubi effectus sequi non potuit." — Item ad IX, 398: »Sallustius quoque ubi ponit: *conatus* »*est*, nullos effectus consecutos ostendit." — Et ad XI, 585: »*Conatus* enim secundum Sallustianum etiam mo»rem, coepta significat, non tamen impleta." —

ad VI, 520: »Etiam Sallustius dicit: *Uti animum* »(inquit) *aegrum solet*, *somnus coepit*." — Recte Ms: *cepit*, ut legitur in Jug. 71.

ib. 525: »Ipso verbo Sallustius usus est, quum »diceret: *Libido accensa*, *sic ut saepius peteret viros* »*quam peteretur*." — Ita et Ms. In Cat. 25. legitur: *sic accensa ut*, et praeterea a nonnullis: *lubidine*.

ad VII, 659: »Tali genere laudis Sallustius plenus »est: nam et ipse multos collaudat, ac deprimit adjecta »vituperatione." — In Ms. deest *ac* post *collaudat*.

CICERO.

ad IV, 367. ubi Cicero citatur, nil variat Ms.

ad VII, 49: » Talis ultimi exemplum Cicero, et » crebro in secundo Rhetoricorum dedit: *Omnium*, inquit, » *qui fuerunt ab ultimo principio.* hujus enim novissimum » fixerat gradum." — In Ms. deest *Cicero.* Recte. Nam pro: *et crebro*, scribendum: *et Cicero.* Mox habet: *Omnium, inquit, quisque fuerunt ab ultimo principio hujus praeceptionis.* Recte; nisi quod in Cicerone II de Invent. 2. pro *quisque fuerunt*, legatur *quicumque fuerunt.* Deinde ita pergit, vulgata egregie supplens: » *Filius huic*] Cum » dicit *huic*, potuit videri de Saturno dixisse: hujus enim » novissimum fixerat gradum."

His addo:

Loca Tib. Cl. Donati ad jus spectantia.

ad I Aen. 77: » Quum fieri aliquid non licet, inci» pit licere, si ejus fiat jussu, cui jubendi plena potestas » est. Ecce exempli causa ponamus judicium publicum. » Non licet hominem verberare aut torquere, et qui haec » fecerit plectitur: sed si jussu judicis fiant, nullum ad» mittitur crimen." — Ms: *si jussu principis fiat.* Notabilis varietas.

ib. 505: *Tum foribus divae, media in testudine templi, Saepta armis solioque alte subnixa resedit.*] » Quomodo est judiciorum omnium consuetudo: ducuntur » judices usque ad fores secretarii, ibidemque officium re» manet: illi vero ingressi solium ascendunt et sedent." — Ms: *officiorum omnium consuetudo*, quae videtur esse corruptela, e sequentibus orta. Deinde Ms: *deducuntur.*

ad II, 196: » *Doli* definitio est quum aliud agitur, » aliud simulatur." — Item ad V, 342: » Bene definiit » poëta quid sit *dolus.* Sicuti enim interpretatio ejus » prudenti exitu disputationis expressa est: *Dolus* est » quum aliud agitur, aliud simulatur." — Est definitio Aquilliana apud Ciceronem III Off. 14. et Topic. 9.

ad V, 249: *Ipsis praecipuos ductoribus addit ho-*

nores.] »*Praecipua* dicuntur, quae praeter communionem »singulis proprio nomine deputantur, ut fit saepe in tes»tamentis, cum aliqua per perceptionem singulorum hae»redum censuerit esse testator." — Recte Ms: *per praeceptionem.*

ad VIII, 168: »Horum, ait, apud me propter dan»tis meritum fuit gratia, ut quum his ego per senium uti »non possem, traderem filio meo, et in hodiernum usque »diem incolumia maneant, eodem quodammodo perseve»rante dominio, cum patris et filii una persona sit." — Ita hic locus e Ms. legendus.

ad XI, 25: »*Patriam* dicimus pro libertate posi»tam ideo, quia quum quis ex servo liber efficitur, civi»tatem dicitur Romanam consecutus: et haec bellorum »conditio est, ut victi libertas intereat, et efficiatur do»minus is, qui victoriam fuerit consecutus." — Item ad XII, 236: »*Patria*, inquit, *amissa*, hoc est perdita »libertate. Liber enim habet patriam, quam non habet »servus, usque adeo, ut qui plenam sumpserit a domino »libertatem, civitatem Romanam dicatur consecutus." — In Ms. deest *a domino.*

ad XI, 468: »*Ilicet.* Assumptum fertur ex veteri »consuetudine, sicuti retro meminimus, ex more judicum. »Nam quum actus suos explessent, hac voce per praeco»nem utebantur, ut dicerent *ilicet*, hoc est, ire licet: ut »universi, qui aderant, observationis sollicitudine solve»rentur." — Illa: *sicuti retro meminimus*, quo spectent ignoro. Verbo attigit vocem *ilicet* ad II, 424: sed ibi de veteri hoc more nihil legitur. Fortasse eum memoraverat ad locum quem hic citavit, II, 758, ubi ejus annotatio forte excidit. Unicus hic locus est, quantum sciam, ubi Donatus a se dicta citet, quae nunc in ejus commentariis non leguntur. Notabo etiam hac occasione unicum, quem reperi, locum, ubi in hisce commentariis sibi invicem repugnantia exstent. Ad XII, 208: »*Imo*

»*de stirpe recisum* si jungamus, faciemus contra ipsius »Virgilii sententiam, qui omnibus locis *stirpem* foeminino »genere protulit." — Postea vero ad ejusdem libri v. 770 legitur: »*Sacrum* inquit *stirpem*, genere proferens mas»culino, nec hoc loco tantum, sed plurimis. Protulit et »foeminino; sed, ut apparet, hominum stirpem foeminino »genere, lignorum vero masculino [1])." —

Quaedam alia Donati loca, quae mihi notanda visa sunt, subjungam.

ad I, 92: »*Extemplo Aeneae solvuntur frigore* »*membra.* Frigus dixit, quod nascebatur non ex casu »evidentissimae mortis, sed ex levi genere." — Scribe: *ex leti genere;* ut ad VI, 176, de Miseno fluctibus merso: »Illius non solum mortem, verum etiam genus leti do»luerunt." Comparandus h. l. (ad I, 93) Servius: »Non »propter mortem ingemit Aeneas, sed propter mortis »genus;" et verba Ovidii qui in eodem, quo Aeneas, naufragii metu constitutus erat, I Trist. 2, 51: »Nec »letum timeo: genus est miserabile leti;" quem locum Broukhusius in margine exemplaris, quod habet bibliotheca Instituti Regii Belgici, adscripsit ad hunc Senecae, Troad. 783: »O morte dira tristius leti genus!"; simul cum altero ejusdem scriptoris, Oedip. 180: »O dira »novi facies leti, Gravior leto!" Adde Martial. XI Epigr. 91, 5: »Tristius est leto leti genus."

ad II, 322: »*Quam prendimus arcem?* Arx est »secunda defensio, inventa idcirco ut evictis muris ipsa »succedat." — Conf. Asconium ad Cicer. Divinat. c. 5: »*Arx* dicitur editus in civitate et munitior ad civium

---

[1]) De genere vocis *stirps* multum laborarunt Grammatici. Ea de re Salmasium ad Prudentii Psychom. 879 locum veteris Grammatici adscripsisse, quem putaret versum Prudentii respexisse, notavit Nic. Heinsius. Conf. Oudendorp. ad Appul. Metam. p. 566. Grammaticus ille videtur esse Charisius, Lib. I. p. 85, qui tamen non Prudentii versum spectavit, sed Virgilii XII. Aen. 208.

» salutem locus, ut Virgilius: *Quo res summa loco, Pan-* » *thu? quam prendimus arcem?* Ergo prima spes in muris » est, secunda in arce, si muros hostis irruperit."

ad II, 712: » *Vos, famuli, quae dicam animis* » *advertite vestris.* Commendat mandata sua: natura enim » servi mali sunt, et negligentes, nec facile his obtempe- » rant, quae jubentur." — Notanda verba, *servos natura malos esse:* et comparandus Ael. Donatus ad Adelph. III, 4, 34: » Servum evenire bonum, non ratio est aut » natura, sed casus est, utpote in re rarissima." Adde eund. ad Andr. I, 1, 11, Adelph. IV, 5, 30, et Phorm. II, 3, 24. Ergo ubi servi in Comoediis *mali* inducebantur, naturales eorum mores servati esse videbantur. Talis Davus in Andria, cui *mala mens, malus animus.* Talis extrema etiam Latinarum literarum aetate in Querulo Comoedia, servus inducitur jiculariter ficto nomine *Pantomalus.* Frequentissimum in scena argumentum erat, *falli per servum senem.* Vid. Terent. Eun. prol. 39. Plaut. Most. V, 2, 30. Bacch. IV, 4, 7 et 8. Ovid. I Amor. 15, 17. Ipse Terentius in veteri epigrammate dicitur mores hominum descripsisse, *Qualiter et servi decipiant dominos.* Adde Plaut. Asin. II, 1, 8: » Serva herum: cave tu » idem faxis, quod vulgus servorum solet, Qui ad heri » fraudationem callidum ingenium gerunt." Terent. Andr. III, 4, 4: » Ne faceres idem, Quod vulgus servorum » solet, dolis ut me deluderes." Cf. Lindenbrog. ad Andr. I, 1, 135. Alia multa in hanc rem e Graecis colligi possunt, jam inde ab Homero Odyss. XVII, 320.

ad III, 353: » *Illos porticibus rex accipiebat in* » *amplis. Accipiebat* dixit, id est, pascebat. Hoc ver- » bum denique et haec loquendi consuetudo etiam nunc in » usu est, quum sumpto aliquo commodo dicimus danti: » *bene nos accipis*, hoc est, bene nos foves, bene nos » pascis." — Primo notandum est, verbum *accipiebat* a Donato explicari *pascebat.* Ita et Servius ad h. l.: » *Ac-*

» *cipiebat:* pascebat, ut Terentius: *Accipit homo nemo* » *melius neque prolixius.*" Idem ad VIII, 178: » *Accipit* » *Aenean:* pascit, ut: *Illos porticibus rex accipiebat in* » *amplis.*" Ael. Donatus ad Terentii locum, quem Servius citat, Eun. V, 8, 52: » *Accipit:* pascit, invitat, » ut: *Illos porticibus*, etc." A Servio, ut pleraque, sumsisse videtur auctor glossarii apud Barth. Adv. 37, 5: » *Accipio*, pasco. Virgilius: *Illos porticibus rex acci-* » *piebat in amplis.* Terentius: *Accipit nemo melius neque* » *prolixius.*" In omnibus his locis *pascere* usurpatur pro *convivium praebere*, de quo usu sequioris aetatis vid. Salmas. ad Spartian. Hadr. 17. et Lamprid. Alex. Sev. 41. — Deinde observanda locutio, quam Tib. Donatus refert sua aetate in usu fuisse, si quis pro commodo praestito gratias ageret: *bene me accipis.* Eandem memoravit ad I, 76: » Neque enim dixit: *bene me accipis*, » aut gratias ago promissis tuis;" et ad VII, 261: » *Mu-* » *nera nec sperno.* Ait Latinus: munera vestra non re- » jicio. Ceterum si egeret alieno, diceret, ut in usu est » hominum: *bene me accepistis.*"

ad III, v. ult. In Servii nota ad h. l. legitur ad finem in editione Maasvicii: » Facto enim fine narrandi » Aeneas successit ad requiem." Burmannus notat, verba illa in omnibus libris deesse, et nescire se, unde Maasvicius petiverit. Et ego nescio quo factum sit, ut Maasvicius Donati verba in Servium transferret. Nam sunt ea Donati, hujus libri extremo: » Facto autem fine narrandi » Aeneas successit ad requiem;" ubi e Ms. Harlem. legendum est *secessit*, ut iterum locutus est Donatus ad libri sequentis initium.

ad V, 70: *Meritaeque exspectent praemia palmae*, Burmannus: » Donatus *spectent* videtur legisse." Imo non ita legit. Nam interpretatur: » *Exspectent* potest » significare *sperent*, potest et *videant.*" Si legisset *spectent*, non potuisset explicare *sperent.* Eundem errorem

Doctissimi viri erraruut ad VI, 687, ubi Mss. habent: *tuaque exspectata parenti Vicit iter durum pietas.* Servius annotat: »*Expectata*, probata, ut: *Et rebus spec- »tata juventus.*" Putant Servium legisse *spectata.* Non assentior. Nam eadem plane Servii nota est ad II Georg. 237: »*Exspecta*, proba, ut: *Et rebus spectata juven- »tus;*" ubi propter versum *specta* legere non potuit. Quamquam et ibi Burmannus et Heynius eum *et specta* legisse opinantur, quae tamen lectio prorsus fuisset aspernabilis. Et quid facient Donato, qui ad eundem illum Aeneidos locum VI, 691 scripsit: »*Exspectata* pietas est »aut *probata* documentis, aut *sperata* temporibus multis." Hic manifesto *exspectata* legit, idque nihilominus, ut Servius, per *probatam* se posse interpretari putavit. Nimirum *exspectare* et *spectare* cum sono vix discernerentur, et in scriptura saepe confunderentur, tandem existimatum est alterum pro altero usurpari legitime posse. Etiam inter recentiores fuerunt qui *exspectare* pro *spectare* ab optimis scriptoribus dictum esse putarent, ut Juretus ad Symmach. II Ep. 79. Vid. Munckerus ad Hygin. Astron. I, 6. p. 350. et Arntzenius ad Plin. Paneg. 31, 1.

ad XI, 583, de Camilla bellatrice: »Maluit non »telas amare, sed tela." — Eadem paronomasia aliis scriptoribus placuit. Claudianus in Eutrop. I, 274: »Tu »potes alterius studiis haerere Minervae, Tu telas, non »tela, pati." Auctor in Anth. Lat. T. I. p. 71: »A »telis ad tela decet transire juventam." Vid. Burm. ad T. II. p. 401. Sidonius, Carm. 15, 149: »Cum tenet »haec telas, vult haec plus tela tenere."

Speraveram fore, ut in hoc opusculo partes librorum, quae in editis Donati exemplaribus desunt, e Ms. Harlemensi supplere possem. Sed spes me fefellit. Nam in eo Codice omnia eadem desunt. Ad primam lacunam, libro IV v. 385, ita a librario scriptum est: *Hic deficit*

expositio CCXL carminum quae non reperitur in aliquo textu hujus civitatis. Spatium demittemus, si in aliquo loco reperiretur. Reperta non est: nam spatium mansit vacuum. Interim notandum, quod ibi alii Codices in eadem civitate memorentur. Scriptum est hoc exemplar Florentiae, ut subscriptio docet, quam in Praef. ad Virgilium vulgavit Burmannus. Florentiae Donati Codicem, grandioribus notatum vetustis characteribus, usurpavit Landinus, ut patet Politiani verbis, supra adductis. Florentiae postea Lindenbrogium Donati Ms. vetustissimum inspexisse, item supra vidimus. Nisi forte haec duo postrema exemplaria sint unum idemque. Certe omnes Codices, in quibus eaedem lacunae sint, e communi fonte fluxisse manifestum est. Fuerunt autem eaedem etiam in Mss. Landini. Ad lib. IV l. c. notavit: »In *duobus* »codicibus qui ad meas manus pervenerunt CC. versuum »interpretationes desunt." Cf. eum ad VI init. et VIII, 461.

Ceterum minime verum est praeconium editionis Fabricianae, quod in titulo posuit Fabricii amicus, fingens bibliopolam hospiti interroganti de commentario Donati, an essent in eo mendae, respondere: *Mendas non habet.* Habet enim innumeras, quarum multae partim e Ms. Harlemensi, partim ex conjectura facili opera emendari possunt. Ipse nunc hoc negotium non tentabo exsequi, sed ad alia pergam. Vereor enim, ne Tibi longus videar.

Eidem Tiberio Cl. Donato multi tribuunt Argumenta Metamorphoseon Ovidii, quae vulgo eduntur sub nomine Lactantii Placidi. Scilicet cum in uno et altero codice *Donati* nomen praescriptum habeant, hic autem libellus Aelio Donato parum dignus haberetur, commodius visus est viris doctis [1]) Tib. Cl. Donato, commentatori in Virgilium, adscribi posse. Hoc tamen argumentum mihi

---

[1]) Fabricio in Bibl. Lat. T. I p. 266, et post eum aliis.

quidem nimis infirmum esse videtur. Idem sentio de Vita Virgilii, quae nunc vulgo Tiberii Claudii Donati esse fertur. Fieri potest, ut fallar: sed non credo in ullo Ms. ei adscribi. In antiquis editionibus titulum reperio: *P. Vergilii Maronis vita per Aelium Donatum celebrem Grammaticum edita.* Postea visa est eidem Donato tribuenda esse, cujus in Virgilium commentarii exstarent, quorum quasi partem fecisse existimaretur. Hinc alii, ex. gr. Henr. Stephanus, titulum fecerunt: *auctore Tiberio Donato.* Cum enim vulgo a viris doctis, jam inde a Politiano et Pierio, hic noster *Tiberius Donatus* vocitetur, omisso *Claudii* nomine, idem posuerunt in illius Vitae titulo. Georgius Fabricius eandem integram ei inscriptionem dedit, quam praeferunt commentarii in Aeneida, quos ipse Fabricius emendatiores editioni suae adjunxit: *Tiberii Claudii Donati ad Tib. Claudium Maximum Donatianum filium, de Pub. Vergilii Maronis vita.* Hic titulus servatus est in recentioribus etiam editionibus, nisi quod in nomine filii per errorem, ut videtur, pro: *Claudium Maximum*, passim scribatur: *Claudianum Maximum.* Ego majorem fidem habeo antiquis editionibus, quae *Aelio Donato* hanc vitam adtribuunt. Citantur inde quaedam a Servio sub *Donati* nomine, quo apud illum *Aelium Donatum* designari, supra probare conatus sum. Itaque ut hoc argumento confirmatur veterum editionum auctoritas, sic vicissim ex illius Vitae inscriptione nostrae sententiae, Donati nomine apud Servium ubique *Aelium Donatum* intelligi, firmamentum accedit. Bis autem ex hac vita quaedam Servius citavit in prooemio ad Bucolica. Prior Servii locus hic est: »Primus etiam pes (versus »Bucolici) secundum Donatum dactylus esse debet et ter»minare partem orationis, ut *Tityre.*" Quae leguntur in Vita § 104, 105: »Non erit Bucolicus versus, nisi in »quo pes primus partem orationis absolverit." Et deinde: »In solo principio, incertum industria an casu, has cae-

» suras servavit. Nam *Tityre* dactylus partem orationis » absolvit." Alter Servii locus est: » Dicit Donatus, in » scribendis carminibus naturalem ordinem secutum esse » Virgilium. Primo enim pastoralis fuit in montibus vita, » post agriculturae amor, inde bellorum cura successit." Quae exstant in Vita, § 90: » Illud erit probatissimum, » Bucolicum carmen originem ducere a priscis temporibus, » quibus vita pastoralis exercita erat; et merito Virgilium, » processurum ad alia carmina, non aliunde coepisse nisi » ab ea vita quae prima in terris fuit. Nam postea rura » culta, et ad postremum pro cultis et feracibus terris » bella suscepta: quod videtur Virgilius in ipso ordine » operum suorum voluisse monstrare, cum pastores primo, » deinde agricolas canit, et ad ultimum bellatores."

Scriverius apud Burmannum Sec. ad Anth. Lat. T. I. p. 369 Servii testimonio usus est contra viros doctos qui vitam hanc Donato abjudicaverunt. Sane illi nullo satis firmo argumento usi esse videntur: ut recte censet Barth. Adv. XXX, 24. Varia semper de hac Vita eruditorum judicia fuerunt. J. G. Vossius, Inst. Orat. VI, 2. dicit, non Aelium Donatum esse, qui Virgilianam vitam conscribillavit nobis, majorum gentium Grammaticum, sed Tiberium, qui vix Lucilianum illud commeritus sit elogium: *Sarcinatorem esse summum, suere centonem optime.* Sic fere judicaverat etiam Scaliger ad Propert. IV, 1, 91. scribens: » Grammatista ille qui Virgilii vitam ex multis » auctoribus tamquam centonem consarcinavit." Ortae saepe sunt tales reprehensiones ex locis, quos interpolatos esse docuerunt Codd. meliores: quod imprimis valet de reprehensione Rutgersii, Venus. Lect. cap. 30. Ceteroquin hanc Vitam perdoctam eleganterque et bene Latine scriptam esse, non video quomodo negari possit.

Scriverius, l. cit., Servii testimoniis hunc locum addidit e Glossario Isidori: » Lenociniis. *Donator:* pro» nunciabat autem cum suavitate, cum lenociniis miris."

Ubi pro *Donator*, suffragante Glossario Ms. Scaligeri apud Burm. l. l., corrigendum est *Donatus*. Leguntur haec in Vita § 43: »Pronunciabat autem maxima cum suavitate »et lenociniis miris." Ita enim pleraeque editiones; sed Danielis editio habet: »maxima cum suavitate *cum* leno- »ciniis miris;" quae scriptura a glossatoribus citatis firmatur. Atque hinc etiam apparet veram esse sententiam Ger. Vossii ad Vellej. II, 103. et Gronovii in nota ad hanc Vitam tertia, qui putant maxime sinceram ejus editionem esse, quae Danielis codici debetur. Idem Vossius eodem loco judicavit, multa in hac Vita e Suetonii libro de poetis expressa esse, idque stilum multis locis indicare; cujus rei etiam exemplum attulit. Plurimis exemplis opinionem Vossii postea probavit summus vir, Joh. Fred. Gronovius. Suspicatus hoc ipsum erat Barthius, qui in Advers. XXX, 24. de hujus Vitae auctore agens, egregie ita scripsit: »Modo is sit verus Donatus, de quo »tamen cur tantopere viri docti dubitent, rationem adhuc »ex iis docti sumus nullam. Sane vel Tiberio vel Aelio »Donato collectanea illa non pudenda sint, quorum uter »sit, Suetonium auctorem habere potuit, cui talia non »pauca et edita et non edita adscribunt eruditissimi viri." Notandum est, quod Vitae Terentii, quae Aelio Donato adscribitur, pariter pars maxima integris verbis e Suetonio descripta sit, ut ipse auctor testatur.

Ceterum, ut manifestius appareat, quae sit hujus Vitae ratio, pauca addenda sunt. Heynius ad § 80 notavit: »Quae sequuntur, male narrationi de vita subjecta sunt, »cum ad sola Bucolica respiciant, atque his potius prae- »figenda sint." Atqui vero omnia, et narratio de vita poetae, et cetera quae hic leguntur, Bucolicis ab auctore praefixa fuerunt. Rectissime enim Fabricius in Bibl. Lat. T. II. p. 247 scripsit: »Vita Virgilii, quam Donato »scriptore habemus, videtur praemissa ab eo fuisse com- »mentariis in Bucolica, qui interciderunt." Quod ut me-

lius intelligatur, videndum est, quaenam ab interpretibus illius aetatis in prolegomenis ad expositiones poetarum tractari solerent. Servii in principio commentarii ad Aeneida verba sunt haec: »In exponendis auctoribus haec »consideranda sunt: Poetae vita: Titulus operis: Qualitas »carminis: Scribentis intentio: Numerus librorum: Ordo »librorum: Explanatio." Singula deinceps suo ordine persequitur. Atque eadem pari serie tractavit in prooemio ad Bucolica, nisi quod ibi praeterea causam scribendi intentioni poetae subjunxit, vitam vero Virgilii non enarravit, monens: »Poetae vitam in Aeneide diximus." Ex quo loco, et verbis his in Praef. ad Aeneida: »Haec, »quantum ad Aeneidem pertinet, dixisse sufficiat: nam »Bucolicorum et Georgicorum alia ratio est;" vel solis intelligitur, Servium prius commentarium in Aeneida scripsisse, deinde in Bucolica et Georgica. Hoc exinde, quod in interpretatione Georgicorum saepe remisit ad ea quae in Aeneida scripserat, recte jam effecit Burmannus major in notis ad Serv. I Georg. 208 et VIII. Aen. 368, postque eum Burmannus Secundus in Praefatione Virgiliana, et Clariss. Lion, Praef. ad Serv. p. VII. Video Te, Vir Celeberrime, de hac re subdubitasse in Hist. Cr. II, 83-85, et collegisse loca e commentario in Aeneida, ubi contraria ratione Servius citavit, quae scripserat ad Bucolica aut Georgica. Sed loca illa ad unum omnia desiderantur in optimis Mss, ut monuit Cl. Lion, l. c. p. VIII: et illam citandi rationem novum validumque argumentum esse existimo, quo probetur, revera Servii non esse additamenta quibus carent codices vetustiores. Hoc igitur discrimen est inter Servii et Donati praefationem, quod ille ab Aeneide, Donatus a Bucolicis poetae interpretationem inchoaverit. Hinc prolegomena generalia de vita et operibus poetae in prooemio ad Eclogas collocavit Donatus, in praefatione ad Aeneida Servius. Caeteroquin eadem fere eodem ordine Donatus tractavit. Postquam

primo loco poetae vitam exposuisset, § 80 ait: »Nunc »quoniam de auctore summatim diximus, de ipso jam »carmine dicendum videtur: quod bifariam tractari solet, »hoc est, et ante opus, et in ipso opere. Ante opus »titulus, causa, intentio. Titulus, in quo quaeritur, »cujus sit. Causa, unde ortum sit, et quare hoc potis»simum sibi ad scribendum poeta praesumserit. Intentio »in qua cognoscitur, quid efficere conetur poeta. In ipso »opere sane tria spectantur: numerus, ordo, explicatio." Haec cuncta exsecutus, § 103 ait: »Superest explanatio: »ad quam antequam veniamus, illud dixerim, etc." — Ergo post illud dictum ad ipsam carminis expositionem Donatus fecit transitum; habemusque adeo integra ejus ad Virgilium prolegomena, quibus omnia continentur quae expositionibus poetarum praemittenda existimabantur. Ab altera parte apparet, ea quae leguntur § 84 sqq. de origine Bucolici carminis, et § 91-97 de causa quae voluntatem poetae attulerit Bucolica scribendi, omnino ad rem pertinere, neque in his prolegomenis desiderari potuisse: ut et ipsius auctoris verba § 80 docent. Quapropter non audiendus Heynius, qui ad § 84 annotavit: »Eadem quae »hic memorantur reperias in princ. Comment. Servii, e »quibus huc videntur male revocata esse;" item ad § 93: »Sunt autem et haec ad § 97 a sequiore manu, forte ex »Servii Comment. princ. inserta." Si esset tanta inter Donati et Servii verba similitudo ut ex altero in alterum translata esse appareret: tamen potius par esset existimare, Servium haec descripsisse e Donato, quem in eodem prooemio ipse auctorem citaverit. Sed tanta similitudo non est. Easdem res ab utroque tradi, non est mirandum. Sic de origine Bucolici carminis eadem fere ab omnibus Grammaticis, alteri ab altero quasi per manus tradita, exponi solebant, tam a Graecis in prolegomenis in Theocritum, quam a Latinis in praefatione ad Virgilii eclogas. Nec propterea cum Heynio ad § 84 dicendum est, ea quae in

Donato hac de re leguntur pleraque esse conversa e Graeco grammatico qui praefigi Theocrito solet. Cf. eund. ad § 107. Non adeo inter se conveniunt Donatus et Graecus grammaticus. Et etiam ille grammaticus habet ab aliis, sicut Latini. Similia quoque leguntur in prolegomenis Probi ante scholia in Eclogas. Obiter observandum a Probo eadem fere, quae a Donato et Servio, atque eodem ordine tractari. Post poetae vitam reperies Originem Bucolici carminis, Qualitatem carminis, Causam scribendi, Ordinem eclogarum.

Ceterum cum Aelii Donati commentarius in Virgilium, Serviano obscuratus, perierit, sola servata est hujus commentarii praefatio, fortasse quod in ea poetae vita diligentius, quam in Servii prolegomeno, exponeretur. Et saepe factum est, ut scholiastarum prolegomena vel tota vel partim servarentur, ipsis scholiis neglectis. Multas auctorum Vitas quae eorum scriptis in Mss. praefixae reperiuntur, ex hujusmodi prooemiis desumtas esse credibile est. Sic Persii Vita inscribitur: *De commentario Probi sublata*, quod recte Theodorus Bergkius, vir inter praecipua decora nostrae aetatis numerandus, nuper explicavit (*Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft.* 1845. p. 125.), fuisse eam a Probo commentario suo praemissam; comparans cum titulo Vitae Thucydidis a Marcellino conscriptae in Cod. Heidelbergensi: Μαρκελλίνου ἐκ τῶν εἰς Θουκυδίδην σχολίων περὶ τοῦ βίου αὐτοῦ Θουκυδίδου καὶ τῆς τοῦ λόγου ἰδέας. Eadem res est in vita Virgilii, de qua nobis sermo. Sublata est de commentario Aelii Donati. — Ceterum si comparetur haec Aelii Donati Praefatio cum Praefatione Tib. Claudii, tum vero apparebit, quam diversa fuerit utriusque interpretis ratio.

Proposueram mihi in hac epistola alias etiam quaestiones tractare de Virgilii Scholiastis. Sed quoniam vereor ne nimis longus fiam, malo hic finem facere, cetera ad aliud tempus servare. Paucula tantum subjiciam, quae

dum haec epistola typis exprimitur, supra disputatis addenda reperi. Sunt autem haec.

Schopenus in Dissert. Critica de Terentio et Donato ejus interprete, edita Bonnae, 1821, quamvis rem in hac epistola tractatam uno tantum verbo tetigerit, eam tamen sententiam secutus est, quam et ipse probare conatus sum. Scripsit enim p. 33: »Virgilianas Aelii Donati commenta»tiones Hieronymus laudat, easdemque quoties Donatum me» morat, Servius respectat, qui senem videre potuit puer. » Quae in Maronem nunc feruntur commenta, ea Tiberii » Claudii Donati esse, Grammatici et aetate et ingenio » longe inferioris, inter eruditos jam sat constat." Idem quae deinceps p. 33-35 de Donato *Oratore* et *Grammatico* dixit, conferenda sunt cum nostrae epistolae p. 29 sq. Addo etiam, Barthio ad Stat. V Theb. 78 recte (ut e supra scriptis apparet) Servium dici *non insolentem Donati reprehensorem, ubi is connivet:* eundemque in Advers. XXXIII, 13 ita de Tib. Donato verissime scripsisse: » Est » paraphrastes non ineptus sed diligens, ut dissentiamus » a Paulo Merula titulum Donati adspernante, cum utique » plures ejus nominis studiique fuerint. Sed de hoc in » Dubiorum Scriptorum Constitutione." Eodem argumento nos contra Merulam usi sumus, p. 32. — Postremo adjiciam, locum Ael. Donati quem a Servio ad II Georg. 4 citatum p. 12 retuli, spectasse Mythographum veterem, editum inter Scriptores Rerum Mythicarum a G. H. Bode, Cellis 1834, p. 243: »Dicitur Lenaeus sive a Graeco » ληνός, id est *lacus*, sive secundum Donatum ab eo quod » mentem deleniat. Nam quod Servius minime primam » producere asserit, quia videlicet Graecum nomen Lati» nam non recipiat etymologiam, de eo Tullius, ut supra » innuimus, aliique non pauci dissentire videntur. Utri » autem parti favendum sit, juxta controversiam de con» trariis legibus relinquo ventilandum." Ubi cum in uno Ms. vox *primam* ante *producere* omittatur: ex laudato

Servii loco, quem sequitur hic scriptor, corrigendum videtur: *Nam quod Servius minime hoc procedere asserit.* Sed Tuum de hac re judicium esto. Idem de omnibus quae in hac epistola scripsi, dictum intelligi velim. Sedulo id egi, ut quod verum esset reperirem. Magnum autem mihi veritatis argumentum habebitur, si Tuum tulero assensum.

Vale, Vir Praestantissime, et ipse literas veteres, ut facis, insigniter augere perge, nostrisque juvenilibus studiis fave. Scribebam Amstelodami, anno MDCCCXLV.

EMENDANDA.

p. 37. lin. 5. pro: *Fabricius ad Donati commentarios;* legatur: *Fabricius in Praefat. editionis Virgilii, et in nota ad Donati commentarios.*

p. 40. lin. 19. deleantur quae leguntur inde a: *Sic ad II,* 324, usque ad: *repetito.*